sapientibus et intellectum intellegentibus, qui excitat et impellit eos qui interrogant ad utilitatem communem, et effusionibus gratiae suae abundanter docet ea quae prosunt ad vitam futuram eos qui interrogantibus respondent, Ipse per multas suas misericordias et ex thesauris suis indeficientibus in cor nostrum copiose effundat scientiam suam vivificantem et per nos in spiritu mirabilia sua loquatur ut nos, mente nostra per veritatem eius mundata et purificata et illuminata, scriptis respondeamus ad ineffabilia nobis proposita per petitionem vestram et quaestiones vestras utiles, o patres mei et fratres mei, peregrini in Domino et monachi vere uniti, degentes in monte Izla in coenobio Mar Abrahami, principis monachorum et primogeniti *eorum* in regione Persarum benedicta, et vos praesertim, o dilecti mei, Mar Ḥabībā, presbyter e regione Beth-Nuhadra, et Mar Narsai, diacone e regione Kaškar, cognate Mar Abrahami, patris spiritalis nostri omnium. Iam enim a longo tempore accrevit apud me petitio vestra ardens atque utilis de iis quae nobis proponuntur. Circa humana enim et divina et circa unionem versantur quaestiones vestrae mirabiles et laudabiles et ineffabiles. Haec non solum mensuram debilem et mentem incultam, quae possideo, superant, sed etiam omnes creaturas rationales, sive visibiles, sive invisibiles: « Pater enim solus novit Filium et Filius Patrem [1] »; et: « Spiritus sanctus est qui scrutatur profunda divinitatis [2] », p. 3. iuxta *verbum apostoli. Si haec ita sint, sicut et sunt, quis audebit absque fide de his mysteriis vitae beatae tractare? Et « vita est lux hominum [3] »; et: « Haec est vita aeterna, ait ille qui est lux et veritas et vita, ut cognoscant te esse Deum verum, et quem misisti Iesum Christum [4] ».

Itaque nisi fides, quae est ex auditu auris, et auditus auris, qui est ex verbo Dei, adsint, et nisi mens custodia mandatorum mundetur et poliatur, quis audebit in profunda incomprehensibilium sese proiicere ad investigandum et scrutandum? Quapropter, o dilecti mei, quomodo ego, miser atque debilis, *haec* bene intellegere possim, etsi scripta sunt et explicata a Patribus sanctis et theologis qui instrumentum Spiritus sancti fuerunt? Ecce enim ea, quae me rogastis, o dilecti mei, expo-

[1] MATTH., XI, 27. — [2] I *Cor.*, II, 10. — [3] IOH., I, 4. — [4] IOH., XVII, 3.

sita sunt a Patribus sanctis qui fuerunt columnae firmae in Ecclesia, qui per puritatem suam *Scripturas* legerunt, intellexerunt, didicerunt et elucidaverunt. Qui vestigia eorum sequitur et mandata dominica cum amore ferventi custodit, in eo orietur veritas, fons vitae beatae: « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me [1] »: et: « Ego et Pater meus ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus [2] ». Ergo fides est fundamentum, et custodia mandatorum est structura; e custodia mandatorum *oritur* puritas et in puritate revelatio mysteriorum *datur:* « Qui credit in me, sicut dixerunt Scripturae, flumina aquae vivae fluent de ventre eius [3] ». Et beatus Paulus ait: « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum [4] ». Itaque, o dilecti mei, illa, quae Dominus noster et apostoli eius docuerunt, eadem sunt quae a Patribus sanctis explicata sunt, qui fuerunt doctores veri in Ecclesia catholica; et quidem absque *mutatione et variatione; absit! Non enim aliam p. 4.
fidem praeter fidem Domini nostri et apostolorum eius praedicaverunt, nec doctrinas, nec mandata, nec consilia aliena, sed eadem, iuxta tempora et personas et occasiones quae sese offerebant, et tanquam medici periti pharmaca spiritalia sumentes ut medicinam heterodoxis conficiant. Igitur quid novi est nobis miseris dicendum nisi ea quae Patrum sunt? Verumtamen, dilectione vestra compulsus, id faciam: Colligam omnia eorum *Patrum* in variis locis dispersa et adducam ad unum locum et ordinem convenientem, dum auditores iustos prius rogamus ut mentes suas in firma spe fidei immobilis primo contineant, quo melius recipere possint sermones incomprehensibiles quos ex verbis Patrum coram eis disponemus, quia haec omnia fide apprehenduntur, nec scrutatione investigantur. Ita enim et hoc nomen nostri, christianorum, quo vocamur « fideles », ad fidem nos propinquius adducit, quia nulla est religio cui hoc nomen « fideles » impositum sit praeter hanc nostri, christianorum. Et ideo nos, christiani, hoc nomine « fideles » vocamur, quia super fidem prius profunde ponitur et firmatur fundamentum aedificii Ecclesiae catholicae Iesu, et super saxum petrae adamantinae: « Super hanc petram aedi-

[1] IOH., XIV, 21. — [2] IOH., XIV, 23. — [3] IOH., VII, 38 — [4] I *Cor.*, II, 10.

ficabo Ecclesiam meam [1] »; et: « Quicumque ceciderit super petram istam confringetur, et super quemcumque ceciderit conteret eum [2] »; et: « Portae inferi non praevalebunt adversus eam [3] ». Numquam enim commota est aut commovebitur ullo ex flatibus vehementibus ventorum malorum qui semper
p. 5. *flant et operantur in filiis inobedientiae, nec umquam abrepta est ullo ex fluctibus erroris fluminum niliacorum et aegyptiacorum [4], quae e partibus inferioribus erumpunt. Equidem sine hoc firmo fundamento fidei Iesu et causa omnium bonorum, turris morum in domibus virtutis non aedificatur, nec spes vitae firmatur, nec caritas completur, nec ulla virtus perficitur.

Ecce enim et ipse Dominus noster, in omnibus quae perfecit et operatus est, prius mentem audientium de fide, fonte vitae, multum monet et denuo confirmat: « Credite in Deum et in me credite [5] »; et: « Omnia possibilia sunt credenti [6] »; et: « Credite quia ego sum in Patre meo et Pater meus in me [7] ». Ita etiam cum miracula faceret: « Credis hoc? [8] »; et: « Sicut credidisti, fiat tibi [9] »; et: Fides tua te salvam fecit; vade in pace [10] »; et: « Quodcumque petieritis in fide, fiet vobis [11] »; cum multis aliis *huiusmodi*. Item post resurrectionem suam idem fecit idemque discipulis suis praecepit: « Ite in mundum universum et praedicate evangelium meum per totam creationem; qui crediderit et baptizatus fuerit, vivet; et qui non crediderit condemnabitur [12] ». Simili modo et apostolus eius, beatus Paulus, qui dixit: « In fide vivo [13] », nomine Dei in testimonio ex Scriptura sic loquitur: « Iustus autem ex fide mea vivet: quod si taedeat eum, non se complacebit in eo anima mea [14] »; et subiungit: « Nos autem non sumus socordiae quae ducit ad perditionem, sed fidei quae nos possidere facit animam nostram [15] ». « Est autem fides argumentum eorum quae sunt in spe [16] » etc.; et: « Fide intellegimus condita esse saecula verbo Dei [17] »; et: « Sine fide autem nemo potest pla-
p. 6. cere Deo; et oportet accedentem *ad Deum credere quia est [18] ».

[1] Matth., xvi, 18. — [2] Matth., xxi, 44. — [3] Matth., xvi, 18. — [4] Alludit ad doctrinas Cyrilli alexandrini. — [5] Cf. Ioh., xiv, 1. — [6] Marc., ix, 22. — [7] Ioh., x, 38. — [8] Ioh., xi, 26. — [9] Matth., viii, 13. — [10] Marc., v, 34. — [11] Cf. Matth., xxi, 22. — [12] Marc., xvi, 15-16. — [13] *Gal.*, ii, 20. — [14] *Hebr.*, x, 38. — [15] *Hebr.*, x, 39. — [16] *Hebr.*, xi, 1. — [17] *Hebr.*, xi, 3. — [18] *Hebr.*, xi, 6.

De fide ad fidem est cursus et certamen, et consummatio in consolatione: « Simul consolabimur per fidem vestram atque meam [1] »; et: « Cursum meum consummavi et fidem meam servavi [2] », etc. Et ita nos fideles vocamur filii Abraham per fidem: « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam [3] »; et: « Ut sit pater omnium credentium ex praeputio [4] »; et: « Iustificabimur fide, non ex operibus legis [5] ». Similiter et ceteri apostoli omnesque veri doctores, qui vestigiis eorum institerunt, tanquam caput fundamenti doctrinae suae et firmum solum confessionis suae invictae nonne praeponunt *haec:* « Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, » et deinde subiungunt proprietates divinitatis illasque oeconomiae adorandae? Quapropter nos, christiani, merito appellamur hoc nomine « fideles » quod nos distinguit a vanis religionibus quae errore polytheismi detinentur, quodque nos accedere facit ad scientiam veram unius Dei veri, naturae unicae et singularis, creatoris et causae omnium bonorum, in trinitate hypostaseon revelatae ad vitam nostram per Iesum Christum, Deum nostrum, qui gratia sua et misericordiis suis copiosis splendere faciet in me lucem suam illuminantem, ut adimpleam voluntatem eius et faciam quae rogastis ad utilitatem adoratorum eius fidelium et gloriam maiestatis eius adorandae; qui est cum Patre suo et Spiritu sancto. Ita et Amen.

Caput Secundum: De essentia aeterna naturae divinae.

Quicumque gratis et per misericordiam dignus efficitur qui de Deo divinisque ad utilitatem communem loquatur, et naturae suae terrenae infirmitatem et deficientiam agnoscit, puerilitatemque scientiae suae et imperitiam suam in his rebus praestantibus, veruntamen *coactione petitioneque ex parte aliorum p. 7.
valde compulsus et pro parte sua praeterea dilectione eorum spiritali *hoc faciendum suscipit,* confiteri debet in principio verborum suorum infirmitatem suam et conditionem suam terrenam et deficientiam scientiae suae coram illis qui ei suaserunt *ut scriberet.* Nec decet eum haud mundatum a moribus per-

[1] *Rom.*, I, 12. — [2] II *Tim.*, IV, 7. — [3] *Gal.*, III, 6. — [4] *Rom.*, IV, 11. — [5] *Rom.*, III, 28.

versitatis corruptae ignorantiae audere de Deo et divinis loqui — Deus enim solet in mitibus et puris et sanctis revelationem suam facere, qui visu lucido mentium suarum digni efficiuntur qui illa mysteria ineffabilia intueantur: « Beati qui puri sunt in corde suo quoniam ipsi Deum videbunt [1] » — et ita, dum casta et pia et sublimis est cogitatio eius, cum vigilantia et absque evagatione, cumque oratione secreta, in supplicatione et clamore cordis, incipit tandem, in virtute Domini nostri Iesu Christi, recte ponere domus suas absque obliquitate et commotione super fidem Petrinam ut de gradu in gradum bene progrediatur, et bene ascendat, et bene currat, et bene perficiat. Si enim super quid visibile et comprehensibile et sensibile et cadens sub investigationem potentiamque mentis posita esset spes verorum christianorum, numquam appellati essent hoc nomine « fideles », neque per investigationem eius, quae est ex creaturis eius, ad doctrinam cognitionis eius intimae adsurrexissent. Sed quid nunc? « Ut quaererent Deum et exquirerent et ex ipsius creaturis invenirent eum [2] ». Deus enim, creator et causa omnium bonorum, solus est Ens aeternum quod ab aeterno exsistit, et causa omnium est, et supra omnia est, et est sicuti est, et est immutabilis et exaltatus in essentia sua supra omnes creaturas visibiles et invisibiles, et nutu voluntatis suae omnia ex nihilo ad existentiam adduxit; et quia
p. 8. ipse omnia creavit, a creaturis suis non apprehenditur *nisi per fidem a fidelibus in spiritu, ab iis qui absque investigatione eum spiritaliter in spiritu adorant: « Spiritus enim est Deus », infinitus, invisibilis, incomprehensibilis, « et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet eum adorare [3] ». Et « omnia opera eius in fide sunt [4] » et promissiones eius in spe, et omnia, quae promisit et paravit, in fide et persuasione spei sunt: « Spes quidem quae videtur non est spes: si enim illam videmus, cur exspectamus illam? Si autem quod non videtur speramus, in patientia manemus [5] ». Si enim Deus, creator omnium, sub facultates sensibiles caderet, et cogitationibus creaturarum apprehenderetur, et sub investigationem mentis veniret, non esset Deus creator, nec spiritus infinitus

[1] Matth., v, 8. — [2] *Act.*, xvii, 27. — [3] Ioh., iv, 24. — [4] *Ps.* xxxii, 4. — [5] *Rom.*, viii, 24-25.

qui est in omnibus totus et super omnia totus. Quidquid enim percipitur aut comprehenditur, vel ex parte percipitur aut comprehenditur, vel totaliter. Et si quaedam ex partibus eius semel percipiuntur aut comprehenduntur, etiam totum potest comprehendi et percipi, sive ab uno, sive a pluribus. Deus vero nec ex parte, nec totaliter, nec ⌜ab uno [1], nec a pluribus percipitur et comprehenditur, nec totum eius est ex partibus, nec totum eius in partes dividi potest, nam omnino perfectus est in esse suo, totus in se toto, indivisibiliter et infinite, et sicut ipse novit. Non concluditur quia non est oppositus qui eum concludat; nec relative ponitur sicut dextera respectu sinistrae, aut supra et infra, aut prius et posterius, ut in loco circumscribatur. Non habet contrarietatem quae eum coarctet ut non sit supra omnia et infra omnia et omnino in omnibus per essentiam suam infinitam et invisibilem et excelsissimam. Ipse enim solus est fortis. Quis eum in partes dividere potest? Et quis eum debilitabit ut non *sit in esse suo infinitus? Et quis p. 9. eum prohibebit esse totum in omnibus et totum ante omnia et in parte omnium? Ipse enim, in infinitate essentiae suae mundum, cum non exsisteret, creavit; et quomodo creatio sua, quam ex nihilo condidit, eum concluderet? Rursus, postquam eam creavit, ipse est idem spiritus infinitus, quia ea quae, cum non exsisterent, ab eo creata sunt, creatorem suum continere non possunt. Caelum enim et terra eo plena sunt, nec eum concludunt, aiunt Scripturae divinae [2], et: « Omnia in ipso et omnia ex ipso et omnia per ipsum [3] »; et: « Non est terminus magnitudini eius [4] ». Et quomodo ea, quae in manu eius sunt, eum concluderent eumque ab infinitate essentiae eius aeternae excluderent? Nam ecce essentia eius excelsior est omni ente, et etiam ipse supra omne nomen nominatur. Si enim esset visibilis et finitus et comprehensibilis et mortalis et divisibilis in partes, non esset Deus, quia haec sunt creaturarum. Quamvis quidem propter sublimitatem naturae suae appellatus sit essentia, et vita, et spiritus, et lux, et aliis nominibus, appellationes tamen et nomina, quae ei tribuimus, non sunt sicut ea quae apud nos sunt et creaturis imponuntur, quae intellectum significatione sua sensibili afficiunt.

[1] Codd. « a parte »; lege: ܡܢ ܚܕ. — [2] Cf. Is., VI, 3. — [3] *Rom.*, XI, 36. — [4] *Ps.* CXLIV, 3.

Etenim Deus non est sicut nomina ei imposita. Non est in similitudine entis aut alicuius similis aut alicuius quod praedicatur et recipit passiones et accidentia, quemadmodum dicunt doctrinae erroneae Physicorum et Ousianorum omnia in eo subsistere sicut formam in materia. Hi quidem ad silentium redacti perierunt. Nostra vero doctrina haec est : « Deus, quis similis tibi ? » [1] ; et : « Non est aequalis Domino in caelis caelorum nec similis Domino inter filios angelorum [2] ; Dominus Deus fortis, quis sicut tu potens [3] » : et reliqua. Nomina autem propria, quibus appellatur in Libris divinis, a viris in-
p. 10. spiratis *data sunt* secundum revelationes in quibus *visus est et cognitus incomprehensibiliter, et prout poterant considerare et intellegere magnitudinem naturae eius, quae est excelsior omnibus et prior omnibus, et notitiam iudiciorum et providentiae eius : « Omnibus modis et omnibus formis olim locutus est Deus cum patribus nostris per prophetas [4] ». Itaque ipse in essentia sua est supra omnes modos et formas quae intellectum afficiunt, essentialiter, aeterno, immutabiliter. Illud enim « Ens quod est », quo primum appellatus est [5], *datum est* ut creaturae intellegerent nihil prius esse essentia eius aeterna, eumque omnem creaturam, cum non exsisteret, ad existentiam adduxisse quando sibi placuit, et *statuisse* modum et finem et rationem et causam propter quam fieret, et omnia, quae facta sunt, nutu voluntatis eius creata esse et studio bonitatis eius munificae ordinata. Et illud quod appellatus est vita *significat* eum creasse etiam ea quae vivunt et se movent, et eum in omnibus esse, eumque omnia vivificare nec videri a creaturis quemadmodum vita creata non videtur, nec videt esse suum, nec modum suum scientia sua comprehendit, et est imago invisibilitatis. Neque possibile est vitam mori ; nam illa, quae habent vitam naturaliter, vita sua vivificantur, et si vita ab eis discedit moriuntur et manent absque motu, et vita eorum hypostatica non moritur. Et quemadmodum, cum corpus moritur quando anima ab eo discedit, ipsa immortalis est secundum verbum Domini, ita nec Deus potest ullo modo mori : absit ! Et quemadmodum anima, dum una est, in corpore est

[1] *Ps.* LXX, 19. — [2] *Ps.* LXXXVIII, 7. — [3] *Ps.* LXXXVIII, 9. — [4] *Hebr.*, I, 1. — [5] Cf. *Ex.*, III, 14.

incomprehensibiliter, et illud vivificat et movet, et in eo operatur omnia rationis suae, quamvis hic limitatio et unio sint naturales et *anima et corpus* partes sint quae simul constituunt unum compositum hypostaticum hominis et sese limitant et simul patiuntur et operantur — hoc vero exemplum est *ad instructionem puerorum, — ita et Deus infinite habitat in p. 11. tota sua creatione et tamen non apprehenditur, concluditur aut dividitur, et facit et operatur omnia in omnibus dum ipse non est ex omnibus.

Ita, quod denominatus est « spiritus » appellatio est declarans nobis infinitatem eius, et imaginem sublimem naturae eius, et eum esse praesentem omnibus et super omnia per essentiam suam, et ex eo et in eo esse spiraculum et subsistentiam omnium, et virtutem eius non superari, et infinitatem naturae eius non comprehendi. Ita et nomen « lux ». Appellatus est enim lux propter sublimitatem naturae suae, quia nihil inter visibilia est sublimius luce, quae splendens est et eximia, et omnia illuminat. Nam ita et Deus scientia sua omnia illuminat, et est splendens in essentia sua, et omnia eius sunt eximia et sublimia, et est supra omnia, et non dividitur in partes, nec scinditur ab infinitate sua per ea in quibus habitat et manet incomprehensibiliter, et per scientiam suam illuminantem, quae oritur in puritate sanctorum, mentem sanctorum illuminat ad iucunditatem vitae eorum: « Hereditas quae advenit sanctis in luce [1] », qui tamen non audent scrutari modum divinitatis eius ne pereant caecitate, sicut ii quorum oculi ad caecitatem, non ad iucunditatem suam, solem defixe intuentur. Quod si Deus non esset tanquam causa et largitor omnium sublimium, sed tanquam nomina quibus denominatur, conceptus de eo intellectum afficerent sicut conceptus de aliis creaturis, et omnes putarent eum esse per compositionem horum nominum, et Deum e partibus componi secundum sententiam Physicorum et sapientium ethnicorum qui stulte dixerunt Deum esse ipsum *mundum qui ex partibus, ex essentia et p. 12. vita et luce et ceteris huiusmodi, in unum corpus conflatur, et nihil exsistere nisi mundum qui ad esse suum revertitur et gignit et nascitur; et ceteras impietates paganas suas.

[1] Cf. *Col.*, i, 12.

Sed absit ut haec cogitemus de Deo creatore et causa omnium. Ipse enim per essentiam suam adorandam excelsior est omnibus creaturis et nominibus quae iis tribuuntur: non videtur, nec dividitur in partes, nec exsistit cum limite, nec sub compositionem venit. Est quidem virga extensa [1]; essentia eius non est aliud, et vita eius aliud, et lux eius aliud, quamvis dicatur de eo secundum morem humanum quod haec possideat et habeat in seipso, quasi diversus esset ab eis quae possidet. Sed quomodo est? Appellatus est quidem Ens, [non vero « habens esse »]; et denominatus est Vita, non « habens vitam »: et vocatus est Lux, non « habens lucem »; et Deus est spiritus, non « habens motum ». Ipse enim est essentia vera; ipse est vita vera; ipse est lux omnia illuminans, et ipse est spiritus infinitus. Omnia movet, et omnibus praesens est, et supra omnia est. Ipse non est haec omnia sicut totum in partibus, nec haec sunt ille totus sicut partes in toto; sed ipse unus est singularitate modi ineffabilis, et inscrutabilis, et inexplicabilis. Ipse est qui creavit ea quae in essentia ipsorum praeconstituta erant: ipse dat vitam viventibus; ipse largitur scientiam intellegentibus; ipse illuminavit et illuminat rationalia luce scientiae suae iisque dat ut ipsum cognoscant, sicut oculi corporis qui per solem vident solem et etiam haec visibilia, quemadmodum dictum est: « In luce tua videbimus lucem [2] ». Et ipse dat motum iis qui moventur, dum in essentia sua sublimior est et altior
p. 13. omnibus *et omnia tenet et omnia gubernat. Ex eo sunt omnes doctrinae et omnis sensus spiritalis, et operatur et facit omnia in omnibus. Non est pars ex toto, nec totum ex partibus. Non separatur nec scinditur, quemadmodum dictum est: « Divisiones donorum sunt, sed unus est Spiritus: et divisiones ministrationum sunt, sed unus est Dominus: et divisiones virtutum sunt, sed unus est Deus qui operatur omnia in omnibus [3] ». Rursus dicit: « Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illo, et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et etiam nos per ipsum [4] ».

Sed afferamus exemplum ad persuasionem puerorum, ex iis quae pertinent ad animam, et alio modo. Quemadmodum

[1] Cf. *Hebr.*, I, 8 (Syr.). — [2] *Ps.* XXXV, 10. — [3] I *Cor.*, XII, 4-6. — [4] I *Cor.*, VIII, 6.

anima una est in simplicitate naturae suae et non constat partibus diversis et materialibus sicut corpus, et habet in seipsa omnes varias artes quas creator in cognitione eius rationali posuit quasque ipsa organis variis discit et servat in memoria sua, et foras profert quotiescumque vult, nunc per artem ferrarii, nunc per artem lignarii aliasque artes. nec dicimus artes ferrarii et lignarii esse partes animae sed operationem animae. et animae sunt innumeri modi, si vult, operandi illud et hoc et faciendi composita et formas diversas quae antea non exsistebant, et, quanquam haec virtus et sapientia ei a Deo data sint, ipsa ope materiarum agit et operatur secundum voluntatem suam liberam quando vult et quomodo vult. ita et per hoc exemplum imperfectum accipiamus similitudinem de Deo creatore omnium. Ipse exsistit ab aeterno, et perfectus est in omnibus suis essentialiter. et possidet in seipso liberum arbitrium *ut agat* sicut vult et modo quo vult. et scientia eius aeterna est et sapientia eius aeterna, ut creet omnia ex nihilo quotiescumque vult *et det p. 14. vitam et sapientiam rationalibus, cuicumque sicut ei proderit et accipere poterit in tempore suo. et quando voluit et sibi placuit omnia ad existentiam adduxit: « Voluisti et omnia steterunt in conspectu tuo [1] », caelum et terra aliaeque naturae visibiles et invisibiles, viventes et non viventes, rationales et irrationales, sapientes in natura sua et discentes voluntate sua. Et ipse omnia tenet et gubernat et mutat et operatur et facit nutu voluntatis suae. Id vero quod dicimus « nutu voluntatis suae » non *significat* eum innuere [et deinde facere], sed ex eis quae nos facile operamur haec etiam de eo dicuntur, quia, quando voluit, omnia creavit et etiam omnia gubernat. Nec intervallum in medio fuit *inter voluntatem et creationem*; nam ecce et in hac oeconomia Dominus noster idem fecit: « Volo, mundare; et statim mundata est lepra eius [2] », et cetera huiusmodi. Et, summatim, non dicimus naturas a Deo creatas, quae possident essentiam et vitam et sapientiam, esse Deum, absit! Impium enim hoc est: sed Deus est causa et creator omnium, et ex nihilo omnia creavit et condidit secundum varias species eaque disposuit et ordinavit et tenet et gubernat secundum

[1] Cf. *Ps.* cxxxiv, 6. — [2] Cf. Marc., i, 41-42.

voluntatem suam. Essentia eius non est sicut essentia creaturarum, nec virtus eius sicut virtus earum, nec lux eius nec sapientia eius *sicut lux et sapientia earum*, nec omnia quae de eo dicuntur. Creaturae non sunt ex natura eius, nec ea, quae creaturae possident, naturae eius sunt: absit! Sed ipse altior est et sublimior omnibus suis creaturis. Essentia eius non est sicut essentia nostra, nec paternitas et filiatio et processio eius sicut nostra, nec opera eius sicut nostra: sed ea, quae ad eum pertinent, sunt alta et sublimia et incomprehensibilia.

Rursus, alio modo. Quemadmodum una est natura simplex
p. 15. animae, et non constat membris et sensibus, *sed operationes et actiones eius per corpus sensusque corporis cognoscuntur, per visum oculorum, per auditum aurium, per vocem articulatam oris et per ceteros sensus, et ipsa etiam vitam et motum et operationem tribuit toti corpori et partibus eius, et dat ei etiam motum et sensibilitatem modis diversis, nec tamen dicimus animam in has partes divisam esse aut animam esse illas partes, sed *dicimus illas partes* esse operationes et actiones diversas quas facultatem naturaliter habet operandi per infirmitatem membrorum corporis et sensuum eius et per sensus eius secundum virtutem a creatore acceptam, ita et Deus, creator omnium, est simplex in essentia sua, et divisit et dedit ceteris rationalibus et irrationalibus ut haberent et facerent hoc aut illud, sive naturaliter, sive rationaliter, nec dicimus essentiam eorum esse essentiam Dei, aut rationem eorum esse rationem Dei, aut vitam eorum esse vitam Dei; absit! Sed haec a Deo acceperunt, et ipse omnia creavit et adduxit ad existentiam ex nihilo, et dedit animalibus vitam, et rationalibus vitam et rationem, et sapientibus sapientiam, et fortibus virtutem, dum ipse in suis altior est omnibus creaturis, quia eas creavit et est causa et factor omnium quae ex effusionibus gratiae eius omnia bona possident.

Rursus, alio modo. Quemadmodum hic sol sensibilis, dum unus est in hac sphaera visibili, illuminat, calefacit, germinare et crescere facit, format, pinguefacit, variat sapores in fructibus, arefacit et madefacit, resolvit et durat, laetificat et contristat, consolatur et affligit, aegrotare facit et sanat, videtur oculis, et virtus eius percipitur sensibus, et dat ut oculi

sani per lucem ipsius videant et homo progrediatur et operetur omnia sua secundum multos modos sibi a creatore concessos. et tamen sol non est illa, nec illa sunt sol secundum naturam. sed *sol haec facit* per virtutem propriam *et ope- p. 16.
rationes quas naturaliter possidet voluntate creatoris sui, ita sunt et ea quae ad Deum, creatorem omnium, pertinent. Ipse omnia creavit. et tenet. et gubernat. et operatur et facit omnia in omnibus prout vult et quo modo vult, dum natura eius altior et excelsior est omnibus creaturis. Quamvis enim rationales *creaturae* proprietates habeant attributis eius similes, sive invisibilitatem et rationem et vitam immortalem. sive scientiam, sive libertatem, sive sapientiam et cetera huiusmodi, illa tamen, quae possidet. non sunt aequiparanda eis quae creaturarum eius sunt: nec nostra pertinent ad naturam eius nisi assumptive, sed sunt sicut umbra et similitudo imaginis respectu exemplaris veri quod omnia sua naturalia habet: « Non est aequalis Domino in caelis caelorum nec similis Domino inter filios angelorum [1] », dicunt verba divina. Si ens dicas, ipse est ens verum quod est sicuti est ab aeterno, et omnes substantiae ad existentiam ab eo adductae sunt, quae, si vellet, in nihilum redirent, quemadmodum eas ex nihilo creavit. Si vitam dicas, ipse est vita vera et sapientia vera. Haec ad eum pertinent proprie secundum naturam eius, et quae ab aeterno habet apud eum permanent immutabiliter. Ipse enim omnia ex nihilo creavit, et fecit viventia, et rationalia, et sensibilia. Nos autem, ex eo quod ipse fecit et ope materiarum. imitamur *opera* eius secundum formam creatam cum tamen non possumus vitam dare aut rationem, aut mutare ullam naturam ab eo quod ad eam pertinet. Opera quidem hominis non possunt similia esse naturae hominis, nec homines nec ceterae creaturae possunt esse sicut natura Dei. factoris sui. nec possidere ea quae habet, infinitatem et aeternitatem. Homo non facit naturam humanam sicut ipsum quae habeat omnia quae ipse habet; nec Deus facit naturam divinam quae habeat omnia quae ipse possidet. *Deus* vero per gratiam *creaturis dedit dominium et potestatem et p. 17.
cetera quae possunt dari; naturam autem suam Deus dare non potest, nec alia natura fieri potest Deus. Nec *Deus* potest dare

[1] *Ps.*, LXXXVIII, 7.

naturaliter nomen sublime naturae suae, id est, nomen proprium essentiae suae aeternae quae est sublimior omnibus, et altior omnibus, et causa omnium, et omnipotens secundum appellationem propriam et nomen adorabile naturae suae adorandae, id est, Deum. Immutabilis est et invariabilis, ipse solus exsistit essentialiter, naturaliter. Cum nominata est appellatio eius, mens omnium rationalium exaltata est et elevata super omnia sensibilia et intelligibilia. Et quasi in natura hominum positus est timor appellationis eius, sicut dictum est etiam de rebellibus: « Etiam daemones credunt et contremiscunt [1] ». Et in ratione hominum posita est cognitio eius, non *cognitio* modi essentiae eius, sed existentiae eius; et per opera et actiones, quae a creaturis intelleguntur, cognoscitur ab iis quorum iudicium non est excaecatum: « Scriptum in cordibus eorum [2] », etc.; et: « Recondita Dei ab ipsius creaturis per opera intellectu videntur [3] ». Itaque si qui sint qui nomine Dei appellati fuerint, hoc nomen acceperunt vel propter dignitatem et familiaritatem, vel propter rebellionem et superbiam: propter rebellionem quidem et superbiam, iuxta illud primum quo Satanas ad Adam primo venit [4]; propter dignitatem autem et familiaritatem, iuxta illud quod Deus ad Moysen dixit: « Deum constitui te Pharaoni [5] ». Dixit: Constitui te, non: Tu es; et mortuus est Pharao, et transivit Aaron, et ablata est potestas Moysis. Et: « Ego dixi: Dii estis [6] ». Dixi, inquit, propter dignitatem, non quia revera estis. Et quid in fine? « Sicut homines autem moriemini [7] », h. e., secundum naturam vestram
p. 18. *mortalem.

Nomen igitur Dei, distinctum et unicum et singulare, per differentiam modi sublimis, proprie, sine mutatione et variatione, ad ipsum pertinet naturaliter. Et quemadmodum essentia eius aeterna immutabilis est, ita neque nomen Dei naturale mutabile est, neque ad alium pertinet proprie et naturaliter, sed ad *Deum* ipsum, sicut dixit ad Moysen: « Hoc est nomen meum in aeternum, et hoc est memoriale meum in generationes [8] ». *Hoc nomen* ei impositum est in signum sublime et in nomen adorandum maiestatis eius absconditae; hoc nomine

[1] Iac., II, 19. — [2] *Rom.*, II, 15. — [3] *Rom.*, I, 20. — [4] Cf. *Gen.*, III, 5. — [5] *Ex.*, VII, 1. — [6] *Ps.* LXXXI, 6. — [7] *Ps.* LXXXI, 7. — [8] *Ex.*, III, 15.

vocatus est ab initio mundi, et in initio mundi. simul cum mundo, traditum est nomen eius adorandum: « In principio creavit Deus [1] »; et: « Dixit Deus: Fiat [2] » tale; et: « Vidit Deus quod esset bonum [3] ». Et in omnibus quae creavit et complevit, hoc nomen proclamatum est ad auditum et disciplinam rationalium: « Et vidit Deus cuncta quae fecerat. et ecce erant valde bona [4] »; et: « Complevit Deus omnia opera sua quae fecerat [5] ».

Ita et de ceteris aliis nominibus. Quaedam enim eorum *data sunt* propter eius potestatem et dominium et providentiam et iudicia; quaedam propter illa quae non habet, ad significandum eum per essentiam suam altiorem esse et secretiorem omnibus et non habere ea quae creaturis inhaerent. Illud nomen « Ens quod est », et « Ego sum qui sum [6] », *datum est* ut significaretur eum exsistere aeterno, essentialiter, et immutabiliter, secundum illud: « Ego sum Deus, et non est alius [7] », et cetera huiusmodi.

Ex his aliis nominibus, v. gr. incorruptibilis, immortalis, invisibilis, qui non fatigatur, non dormit, non mutatur, non indiget, non apprehenditur, quaedam pertinent ad essentiam eius absconditam et significant ea quae in natura eius non sunt, quia in omnibus altior et sublimior est eis. Haec vero: Dominus, Princeps, Iudex, Fortis, Sapiens, et cetera huiusmodi, providentiam et iudicium et ceteras differentias in modis oeconomiae eius denotant. Quomodo autem exsistat in essentia sua excelsissima, Angeli et omnes homines de divinis tractantes in silentio *laudabili permanserunt. Etenim ipse primum invi- p. 19.
sibilitatem essentiae suae docuit cum Moyses eum videre cupiret: « Non videbit me homo et vivet [8] ». « Deum nemo vidit umquam [9] », ait Baptista; et Dominus noster dixit: « Non Patrem videt quisquam nisi is qui est a Deo Patre, hic videt Patrem [10] »; et: « Ego cognosco Patrem meum et cognoscor a Patre meo [11] »; et: « Nemo scit quae sunt in homine, ait apostolus, nisi spiritus hominis qui in eo est; ita et quae sunt in Deo nemo cognoscit nisi Spiritus Dei [12] ».

[1] *Gen.*, I, 1. — [2] Cf. *Gen.*, I, 3. — [3] *Gen.*, I, 10. — [4] *Gen.*, I, 31. — [5] *Gen.*, II, 2. — [6] a h y h a š r a h y h; transcriptio litterarum hebraicarum אהיה אשר אהיה; *Ex.*, III, 14. — [7] Is., XLV, 22. — [8] *Ex.*, XXXIII, 20. — [9] Ioh., I, 18. — [10] Ioh., VI, 46. — [11] Cf. Ioh., X, 15. — [12] I *Cor.*, II, 11.

Ergo ex his omnibus patet Deum propter incomprehensibilitatem suam cognosci Deum verum per ignorantiam quae est supra scientiam, quae est vera scientia de illo, quia ipse est incomprehensibilis et infinitus et inhabitat lucem ad quam nemo accedere potest [1]. Quomodo enim modus illius, ad quem nemo accedit, cognosci posset a creaturis quae ne modum quidem suum cognoscere valent? Usque vero ad revelationem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem creaturae rationales, quia mundus in infantia scientiae educabatur, per revelationes et varias similitudines, de natura unica divinitatis adorandae acceperunt conceptus denotantes essentiam eius, ut discerent unum esse Deum qui ab aeterno exsistit in essentia sua, et eum esse creatorem et factorem et causam omnium et gubernatorem mundi, eumque esse qui occidit et vivificat et omnia iudicat: « Videte ergo quod ego sim, et non sit alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivificabo » [2]; et: « Ego sum Dominus Deus iustus et salvans [3] »; et: « Mihi curvabitur omne genu, et per me iurabit omnis lingua [4] ». Ipsi gloria ab ore omnium creaturarum quas creavit, in saeculum saeculorum. Amen.

p. 20. *Caput tertium: Quomodo natura divina, cum infinita sit et omnia impleat, in partes non dividatur propter ea in quibus habitat?

Iam supra diximus omnia, quae ad Deum pertinent, fide tantum cognosci nec sub investigationem cadere. Quomodo enim investigari posset qui non videtur, et comprehendi ille ad quem nemo accedere valet, qui omnia implet, in quo omnia subsistunt et servantur, in cuius manu spiritali omnia ponuntur et colliguntur, qui omnia tenet virtute verbi sui? Dic mihi: Quomodo ille posset videri et comprehendi ab iis quae in manu eius ponuntur, colliguntur et continentur? Ipse ab eis non videtur: ipse est in omnibus et ante omnia per incomprehensibilitatem suam aeternam. Creatura enim creatorem suum nullo modo comprehendere et capere et investigare potest, nec

[1] Cf. I *Tim.*, VI, 16. — [2] *Deut.*, XXXII, 39. — [3] Is., XLV, 21. — [4] Is., XLV, 24.

opera factorem suum comprehendunt. quia tanquam guttula aquae et tanquam granum arenae in manu eius spiritali posita sunt. Dic mihi: Quomodo id, quod in pugno tuo ponitur et reconditur, te investigare posset? Si id, quod in manu tua ponitur, te cognoscere potest, cognoscit tantum se in manibus tuis positum esse, non autem comprehendere valet quomodo tu exsistas. Ita et gratis datum est creaturis ut creatorem suum cognoscant: cognoscunt tantum eum ab aeterno exsistere, et seipsas in manu eius positas esse et ab eo teneri et gubernari; modus vero essentiae eius scientiam transcendit. Ecce enim ne animae quidem, quae in nobis est et operatur et agit in corpore nostro diversimode, modum cognoscere possumus, nec quomodo anima in nobis sit et cogitatio eius velocissime, in ictu oculi, currat et ad omnem locum se convertatur, nec si ipsa aeris instar compressa in nobis ponatur, nec si ipsa ignis instar omnes partes corporis induatur, nec si natura eius in toto corpore sit, nec si uni *membro coniungatur et virtus p. 21. eius per omnia membra decurrat. Dic mihi: Quomodo virtus, quae est absque subsistentia, sensibilia percipiat? Quomodo anima, per visum et auditum ceterosque sensus, cognitionem recipiat et cognitionem det per media, *id est,* per aerem et lucem quae sensu carent? Quomodo coacervet in seipsa quasi in horreis myriades diversarum cogitationum et intellectionum et illic tanquam in apothecis sine confusione et sine commixtione sint, et conceptus mirabiliter formati, quando necessitas postulat, exeant in variis seriebus, iterumque intrent in vulvas multiplices, per visum et auditum, et illic serventur, et a te non discesserint? Quaenam sit mansio eorum? Quid sit memoria quae eos servat? Unde origo cogitationum quarum aliae *nos* laetificant, aliae autem contristant? Quomodo tu eas persequaris et a te non discedant? Quomodo id, quod gratum non habes, in te habitet? Quaenam sit causa cur tanto tempore cogitationes in te quietae sint et nunc in te insurrexerint? Quomodo unus auditus *nos* laetificet et contristet, et faciat corpus triste et contractum et colore pallidum, et sit alius quo anima laetificetur et etiam corpus hilare fiat et rubescat prae gaudio suo? Quomodo memoria et visus passiones naturales motu involuntario commoveant? Quomodo omnes passiones turpes et memoriae vanae metu destruantur? Unde haec

et alia huiusmodi? Quomodo auditus sit in auribus et visus non olfaciat et nares non audiant et tactus non sapiat? Quod si modum tuum comprehendere non vales nec minora, quae in te sunt, comprehenduntur, quomodo investigare posses naturam Dei, creatoris tui, et modum essentiae eius incomprehensibilis? Quapropter beatus David, qui vocatus est cor Dei [1], dum multum miraretur, de suis propriis primum dicit: « Ex me facta est
p. 22. scientia et prodigium », *scientia nimirum quae est in ignorantia, quae est mihi prodigium: et quia modum meum et creationem mei ipsius non comprehendo, « confortata est » in cogitatione infirma, « et non potero » [2] meipsum cognoscere. Et tunc pergit dicere de incomprehensibilitate factoris sui, quomodo sit in omnibus infinite, indivisibiliter, sine partibus, sine mixtione, sine confusione, sed totus in omni toto et totus in omni parte, et totus supra omnia, et omnia implens: « Quo ibo a spiritu tuo? » non est locus ubi non sis, et *omnia* imples infinitate naturae tuae. « Si ascendero ad caelum », id est, ad altitudines excelsas, « illic totus tu es », in te toto, infinite. « Et si descendero in infernum », id est, in profunda profundorum, « illic etiam tu es » totus in te toto indivisibiliter. « Et si sustulero pennas meas sicut aquila » regia, cum omni velocitate et impetu mentis, « et habitavero in extremis maris », quod est pars universi, « etiam illic manus tua tenebit me et dextera tua deducet me [3] », id est, etiam illic tu es totus in te toto sine partibus, et totus in te toto praesens es omnibus et etiam singulis substantiis, et tenes eas manu tua auxiliumque tuum eas gubernat. Nullum ens privatur a praesentia tua quae apud illud est; totus enim es in te toto, infinite, indivisibiliter, sine partibus. *David* vero, e persona sui ipsius, loquitur de omnibus hypostasibus hominum qui separantur secundum loca et ab invicem distant.

Sed adhibeamus aliud exemplum tanquam ex speculo ad personam subsistentem, confirmans mentem puerilem. Quemadmodum enim panis et vinum super omnia altaria sub caelo in mysteria salutis nostrae ponuntur, et uno parvo momento, per recitationem verborum sacerdotalium sanctorum, Spiritus sanctus descendit incomprehensibiliter et perficit haec mysteria

[1] Cf. *Act.*, XIII, 22. — [2] *Ps.* CXXXVIII, 6. — [3] *Ps.* CXXXVIII, 7-10.

super altaria in omnibus regionibus, *et facit ea unum corpus p. 23. Christi, nec dicimus plura corpora Christi esse, sed unum corpus Christi esse super omnia altaria in universo, et totum corpus esse in parva parte Eucharistiae, et etiam totam gratiam Spiritus sancti esse in singulis particulis panis consecrati, omnino totam in omnibus et totam in parte; et, rursus, quemadmodum unum baptisma in omnibus locis est, uno tempore et uno dono, nec dicimus plura esse baptismata, nec baptisma in partes dividi, sed unum baptisma esse absolute in singulis personis per nativitatem spiritalem in arrhas immortalitatis, sic et per hoc exemplum archetypo ineffabili conforme intellegamus ea quae ad Deum, creatorem omnium, pertinent. Natura enim divina, ex qua sunt gratia et misericordia copiosa et dona perfecta, exsistit per essentiam suam tota in omnibus infinite, indivisibiliter, sine scissione, sine mixtione, sine confusione, sine partibus. Et tota praesens est omnibus, et tota parti, et tota ante omnia, et tota in omnibus, incomprehensibiliter, ineffabiliter, et sicut ipsa novit.

Rursus, alio modo, ex natura *creata* ad creatorem naturae, quia etiam opera eius a fidelibus per fidem cognoscuntur. Quemadmodum hic sol visibilis, non obstante quod nos latet etiam modus cursus sphaerae eius, et utrum linea recta et simplici progrediatur, an tanquam rota revolvat et currat et transeat, ut alii dicunt, expandit tamen lucem suam cum adspectu sphaerae suae super omnes creaturas, et ingreditur *lux* per myriadem fenestrarum apertarum et per singulas tota in se tota videtur indivisibiliter cum calore et splendore suo, et intra et extra et in omnibus regionibus tota est, et ubicumque videtur tota omnino *videtur indivisibiliter, nec p. 24. dicimus quod ex parte videtur in universo, et in loco aliquo ex parte non videtur, sed dicimus quod tota videtur in omnibus et tota in parte sine divisione et sine scissione; sic et tanquam per parvam similitudinem pro instructione puerorum, cogitemus de essentia adoranda naturae aeternae, quod *haec natura* est omnino in omnibus indivisibiliter, cum essentia eius infinita partibus non constet, nec potest in partes dividi secundum impietatem Ḥananiae Ḥadiabeni.

Rursum, alio modo. Quemadmodum clamando auditum facis voce tua unum nomen per unum clamorem « unus Deus », et vox

illa « unus Deus » recipitur prehensione memoriae, ex auditu, omnium horum hominum, et « unus Deus » est per unam vocem indivisibiliter in myriade audituum et memoriarum, et *haec vox* est omnino tota in te qui eam clamasti et in iis qui audierunt, nec memoria *Dei* a te discessit, sed tota est apud te et tota apud eos qui audierunt et non secundum partem, nec plures dii sunt sed unus Deus perfectus in omnibus mentibus et auditibus infinite — etsi illic virtus rationalis haec faciat, non autem natura subsistens: exemplum est enim; — sic est essentia aeterna naturae divinae. *Haec natura* est omnino tota in omnibus et tota ante omnia, et tota tenet omnia, invisibiliter, incomprehensibiliter, infinite, ineffabiliter, et sicut ipsa novit.

Rursum, alio modo. Quemadmodum una ars in myriade personarum humanarum videtur per actionem suam, et cotidie agit et operatur permultis modis, verbi gratia in una arte ferraria, nec dicimus plures artes unius artis ferrariae in omnibus his personis agnosci, sed unam artem ferrariam esse in
p. 25. omnibus perfecte, et non esse per divisiones *partium in illo et in hoc; et etsi unus expeditior et peritior est socio suo, tamen singuli eorum fabricant unam falcem aut aliam rem, et discipulus discit totam artem, et tota ars, non pars *artis*, remanet apud magistrum: sic Deus, creator omnium, cognoscitur ex creaturis suis et per creaturas suas et opera sua omnia, et in eo videtur magnitudo scientiae eius et sapientiae eius aeternae et operatio eius mirabilis et ineffabilis. Et dum unus est in natura infinita et operatur et facit omnia in omnibus et in parte, differt tamen ab arte, quae in artificibus est, eo quod ars, in iis qui ipsam possident, non est aliquid subsistens. Deus enim per infinitatem naturae suae omnibus praesens est et in omnibus habitat, et est ante omnia infinite, — « caelum quidem et terra te non continent [1] ». — sicut ille aer diffusus praesens est omnibus: et est halitus et vita, et omnia ipse dat et servat, sicut halitus vitalitatem. Si creaturae privarentur cura eius, ruina earum immineret: « Avertes faciem tuam et turbabuntur, et auferes spiritum eorum et morientur [2] ». Et haec dicta sunt a beato Paulo ad Athenienses cum eos mente excaecatos de creatore naturae ex natura erudiret: « Ex uno fecit

[1] Cf. II *Paral.*, vi, 18. — [2] *Ps.* ciii, 29.

totum mundum hominum ut habitarent super faciem terrae, *et* distinxit tempus eius decreto suo, et constituit terminos habitationibus hominum, ut Deum quaererent et exquirerent et ab ipsius creaturis invenirent eum, quandoquidem non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus et movemur et sumus[1] ». Cui debent creaturae gloriam dare in saeculum saeculorum. Amen.

Caput quartum : De Trinitate adoranda in una essentia aeterna ; quod aenigmatice *in Vetere Testamento iam adumbrata est p. 26
indicatio hypostaseon.

Quasi in aenigmate et quasi per allegoriam quamdam, ut puto, praesignata est in Vetere Testamento indicatio hypostaseon adorandarum Patris et Filii et Spiritus sancti in una natura aeterna, causa et creatrice omnium. Exempli gratia : « Dixit Deus : Faciamus hominem in imaginem nostram, secundum similitudinem nostram[2] » ; non dixit : in imaginem meam. Et illud ter dictum : « Ego sum qui sum[3] » ; « Ego - sum[4] misit me ad vos[5] ». Et illud : « Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob[6] ». Deus, Deus, Deus, ter *dictum*, est indicatio trium hypostaseon quoad omnia aequalium in una natura aeterna. Potuisset enim dicere : Deus Abraham et Isaac et Iacob ; sed distinxit hypostases unitas in una natura divinitatis ; et quemadmodum Abraham et Isaac et Iacob sunt tres hypostases in una natura humana, facta et finita, sic Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres hypostases aeternae in una natura per se exsistente *et* infinita. Et illud : « Venite, descendamus, et dividamus ibi linguas[7] » ; et illud quod ex angelis ab Isaia propheta auditum est in hymno trisagii[8] ; et illud quod apud Danielem prophetam *legitur* : « Throni positi sunt et antiquus dierum sedit[9] » : *Haec sunt* una eademque indicatio hypostaseon in una essentia. Et illud : « Dominus Deus tuus Dominus unus est[10] ». Haec igitur et alia verba sancta huiusmodi, praeter quod unam naturam divinam, quae ab aeterno exsistit, ma-

[1] *Act.*, XVII, 26-28. — [2] *Gen.*, I, 26. — [3] a h y h a š r (a) h y h. — [4] a h y h. — [5] *Ex.*, III, 14. — [6] *Ex.*, IV, 5. — [7] *Gen.*, XI, 7. — [8] Cf. Is., VI, 3. — [9] Dan., VII, 9. — [10] *Deut.*, VI, 4.

nifestabant, habent etiam in seipsis signum et indicationem hypostaseon adorandarum quae sunt in una natura aeterna, in una dignitate et potestate et causa omnium creaturarum: cui convenit laus ab omni creatura eius in saeculum saeculorum. Amen.

Caput quintum: Quod per revelationem Christi Domini nostri
p. 27. *in carne clare cognitae sint a nobis hypostases adorandae Patris et Filii et Spiritus sancti quae sunt in una essentia aeterna.

Cum igitur tempus progressum esset, et natura incepisset per diuturnas exercitationes ad mensuram virilem pervenire, et homines per legem puerilem instituti essent ut unum Deum, creatorem et causam omnium, cognoscerent et se servarent ab errore ignorantiae in permultis variis modis et repudiarent plures deos et deas innumerabiles, et cum natura capax esset accipiendi cognitionem perfectam unius naturae divinae quae in tribus hypostasibus praedicatur, quid tunc? Misertus est Deus creationis suae et ad eam Filium suum misit, et per revelationem eius in carne nos docuit et sapientes fecit et erudivit *doctrina* hypostaseon divinitatis.

Et primum audiamus quomodo ab initio huius praedicationis et annunciationis vitae nostrae et in oeconomia illa divina quae adimpleta est per Dominum nostrum Iesum Christum, caput vitae nostrae et Deum nostrum, illae hypostases adorandae Patris et Filii et Spiritus sancti revelatae sint et indicatae, et etiam post descensum Spiritus sancti a nobis clare cognitae sint. Initio itaque huius oeconomiae corporalis inhumanationis Dei Verbi et in principio annunciationis verborum Gabrielis angeli ad beatam Mariam eventus convenerunt quibus etiam illae hypostases adorandae indicatae sunt. Cum enim beata Maria angelum, postquam ab illo annunciationem acceperat, de modo conceptionis suae interrogasset: « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? » angelus mysterium exponit, dicens: « Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi illabetur in te: propterea is qui nasciturus est ex te sanctus est

et Filius Altissimi vocabitur [1] ». Ecce igitur verae indicationes hypostaseon adorandarum in una natura aeterna; nam in initio huius *oeconomiae hoc mysterium nobis indicatum est. « Spiritus sanctus veniet »: en hypostasis Spiritus sancti qui ex Patre essentialiter procedit; « et virtus Altissimi illabetur in te »: en hypostasis Patris ex quo Filius essentialiter natus est et ex quo Spiritus sanctus aeterno procedit; « is qui nasciturus est ex te sanctus est et Filius Altissimi vocabitur », hoc *dictum est* in indicationem hypostasis Verbi, Filii aeterni Altissimi, nam ecce unitive habitat in eo qui a Spiritu sancto formatus est quemque fecit secum unum Filium in una adhaesione indissolubili. Quamvis enim dicatur Spiritum formare, et virtutem Altissimi illabi, et Filium habitare unitive, attamen una est natura in tribus hypostasibus, et una est voluntas et virtus et potestas et dominatio Patris non uniti, et Filii qui unitus est et Spiritus sancti non uniti. Ita et in nativitate spiritali hominis uniti Domini nostri, qui per baptisma sanctum mystice ad immortalitatem natus est ut esset primus omnium, eadem Trinitas indicata est: Pater qui clamat: « Hic est Filius meus », et Spiritus qui descendit in forma corporali columbae, et Filius qui habitat in eo qui baptizatur cuiusque filiationem roborat. p. 28.

Simili modo Dominus noster, postquam baptizatus est et cepit praedicare evangelium suum vivificans, cum virtutibus et signis quae constanter faciebat virtute Spiritus sicut ipse dixit, incepit gradatim et tanquam per allegoriam declarare hypostases Trinitatis adorandae et unam esse earum naturam in una essentia: « Ego et Pater unum sumus [2] »: et: « Qui videt me vidit Patrem [3] »; et: « Ego sum in Patre meo et Pater meus in me [4] »: et: « Nemo novit Patrem nisi Filius [5] »; et: « Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat eos, ita et Filius quos vult vivificat [6] »; et: « Pater meus usque modo operatur et etiam ego operor [7] »: et: « Spiritus sanctus qui a Patre procedit [8] »; et: « Cum venerit Spiritus sanctus docebit vos omnem *veritatem [9] ». Ita etiam per resurrectionem primitiarum nostrarum a mortuis indicationem Trinitatis sancta Ecclesia didicit: « Deus Pater qui suscitavit eum a mortuis [10] ». p. 29.

[1] Luc., I, 34-35. — [2] Ioh., x, 30. — [3] Ioh., xiv, 9. — [4] Cf. Ioh., xiv, 11. — [5] Matth., xi, 27. — [6] Ioh., v, 21. — [7] Ioh., v, 17. — [8] Ioh., xv, 26. — [9] Ioh., xvi, 13. — [10] *Act.*, iv, 10.

Et nomine divinitatis suae unitae humanitati suae Filius dixit: « Solvite templum hoc et in tribus diebus ego excitabo illud [1] ». Et de hypostasi Spiritus sancti dictum est: « Si Spiritus eius qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis habitat in vobis, ille qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis etiam corpora vestra mortua vivificabit propter Spiritum suum qui habitat in vobis [2] ».

Similiter et post resurrectionem suam, cum discipulos suos docuit ut praedicarent in universo mundo et converterent gentes a polytheismo ad cognitionem veram unius Dei qui in trinitate hypostaseon agnoscitur, qui, sicut creavit omnia ex nihilo et ad existentiam adduxit, *et* ipse renovaturus est omnia virtute Trinitatis suae aeternae, haec dixit eis: « Proficiscimini, docete omnes gentes et baptizate eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [3] », id est, unius essentiae aut, si vis, naturae, quae est infinita et causa omnium, quae in tribus hypostasibus infinitis distinguitur per proprietatem personarum earum. Simili modo et humanitas filius est per unionem cum Filio aeterno, unus Filius; sed illae hypostases aeternae sunt una natura infinita, quae, dum distinguuntur, coniunguntur in essentia, et, dum coniunguntur infinite, distinguuntur in hypostasibus suis ab aeterno, inconfusibiliter, infinite, invisibiliter. Non est inter eas alia quae aliis in hypostasi sua prior sit, quemadmodum nec est posterior in persona sua. Pater est pater solus, totus *Pater* totius Filii unigeniti per distinctionem modi inscrutabilis, simplex de simplice; et per proprietatem suam unicam *est pater* et non est alius *pater,* et est pater ab aeterno
p. 30. *in saeculum, non per gradus sicut apud nos. Neque est cum alio filio, sed est pater essentialiter, solus Pater solius Filii. *Filius* est filius naturalis totus totius Patris naturalis per distinctionem modi incomprehensibilis et per proprietatem singularem. Et non est alius filius consubstantialis Patri: *Filius* est filius essentialiter et *Pater* est pater essentialiter. Filius non incepit in filiatione sicut Pater non incepit in paternitate. Pater non potest fieri filius, nec Filius potest fieri pater; et numquam convertibiles sunt illae proprietates; sed *Pater* est pater essentialiter et in aeternum, et *Filius* est filius essentialiter et in

[1] Ioh., II, 19. — [2] *Rom.*, VIII, 11. — [3] Matth., XXVIII, 19.

aeternum. Et Spiritus sanctus non est pater nec filius, sed essentialiter et ab aeterno ex Patre procedit, nec incepit in processione sua sicut nec Pater in paternitate sua nec Filius in filiatione sua. *Spiritus* est procedens essentialiter et in aeternum, et non exsistit alius spiritus sanctus procedens ex Patre modo processionis sicut non est alius genitus modo generationis ex Patre. Spiritus sanctus, qui ex Patre solo procedit, non est posterior, quemadmodum Pater non est prior Filio qui ex eo ab aeterno natus est. Ita nec Spiritus sanctus posterior est Filio, sicut non est posterior Patre. Pater enim non amisit illud quod est paternitatis ipsius aeternae, nec Filius illud quod est filiationis ipsius aeternae, nec Spiritus sanctus illud quod est processionis ipsius aeternae. Finem non habuerunt nec inceperunt. *Pater* est pater essentialiter, et *Filius* est filius essentialiter, et *Spiritus sanctus* est spiritus sanctus procedens essentialiter, in una natura unica et singulari essentiae aeternae. Sphaera solis non est prior splendore eius fulgenti, nec flamma eius posterior est splendore et sphaera, etsi hic sunt virtutes, non autem hypostases subsistentes. Hoc quidem est exemplum apostolicum ad docendam incomprehensibilitatem Trinitatis. Quapropter Apostolus dixit: « Splendor », et subiunxit: « figura substantiae eius », ita ut quemadmodum *illic p. 31. virtutes, sic hypostases hic intellegamus, hypostases completas ex hypostasi completa: Patrem hypostasim completam, et Filium hypostasim completam, et Spiritum sanctum hypostasim completam, sicut causam et effectus, in una aeternitate unius naturae. Sol enim non est absque calore et luce; vides sphaeram solis et simul cum ea lucem et flammam eius; et unus sol est haec tria, et haec tria sunt unus sol: [sphaera,] splendor, filius solis, et calor ex eo procedens.

Ita est et hoc aliud quod a filio tonitrui dictum est: « In principio erat Verbum ». Nihil enim est prius τῷ « in principio » secundum essentiam. Nomine hypostasis Verbi nobis significavit nosque docuit etiam de hypostasibus Patris et Spiritus; verbum enim non est absque anima et absque vita. Itaque si animam dixeris, simul cum ea vitam et rationem eius intellexisti. Et haec sine successione et sine divisione exsistunt, et nullum eorum est prius socio suo: verbum animae, et anima quae possidet vitam et rationem. Attamen etiam hic habemus

similitudinem et exemplum, quia haec sunt virtutes et operationes; ibi autem non sunt tanquam virtutes non subsistentes, sed hypostases perfectae. Quapropter, postquam dixit: « In principio erat Verbum », pergit explicare de hypostasi eius: « Et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum [1] », *id est*, hypostasis apud hypostasim et ex hypostasi: causa et effectus; Pater causa Filii ex ipso geniti et Spiritus sancti ex ipso procedentis. Et una est natura in tribus hypostasibus aequalibus quoad omnia, praeter paternitatem et filiationem et processionem; Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: unus Deus; lux, lux, lux: una lux.

Et adducamus exemplum pro similitudine repraesentativa ex imagine ad exemplar, ut *ostendamus* quomodo in una natura
p. 32. hae voces verae sint, non falsae, nec inter se *convertibiles. Adam prius non est natus, nec umquam fuit filius; et genuit Abel modo filiationis, et Abel natus est nec fuit pater umquam; et Heva fuit modo processionis, non modo generationis, nec fuit filia nec umquam appellata est soror. Itaque si in hoc mundo visibili et in hac imagine familiae Adam hypostases servaverint proprietates suas in una natura nec confusae sint, quomodo dubitaremus de his quae ad Trinitatem aeternam pertinent, quae est sicuti est, sine initio et sine mutatione, in hypostasibus infinitis paternitatis et filiationis et processionis, una essentia aeterna essentialiter, et una divinitas in Trinitate et Trinitas in una divinitate. Non est divinitas absque Trinitate seorsum; nec est Trinitas absque divinitate seorsum. Vocasti Patrem? una cum appellatione Patris intellexisti Filium absque separatione, ita etiam Spiritum sanctum qui ex Patre procedit. Impossibile est Patrem et Filium esse sine Spiritu et sine sanctitate, et Spiritum non habitare in Patre et in Filio infinite, quia tota natura Trinitatis nuncupata est Spiritus: « Spiritus enim est Deus [2] »; et: « Spiritus sanctus qui scrutatur profunda divinitatis [3] ». Genitor et Genitus et Procedens, tres hypostases, una natura, supra « quando [4] », sine tempore, et supra omnia intervalla et momenta; unus Deus tres hypostases, et tres hypostases unus Deus, una virtus, una potestas,

[1] Ioh., I, 1. — [2] Ioh., IV, 24. — [3] I *Cor.*, II, 10. — [4] I. e. categoriam temporis.

una dominatio, una voluntas, una essentia immutabilis, una infinitas sine initio, una aeternitas sine passione. Modum *earum* autem illis tantum relinque: illae enim solae seipsas cognoscunt in omnibus suis et infinitatem *mutuae inhabitationis [1] p. 33. suae sine confusione. Si divitiae Christi inscrutabiles sunt, quomodo natura divinitatis eius *scrutabilis est?* Pater enim solus novit Filium et modum nativitatis eius, et Filius solus cognoscit modum Patris, et Spiritus sanctus est qui scrutatur profunda divinitatis. Crede, o homo, et noli investigare: intuere solem ad utilitatem tuam, non ad detrimentum tuum: accede ad ignem ad calefaciendum te, non ad comburendum te; audi a Domino et crede firmiter: « Ego sum in Patre meo et Pater meus in me [2] », et ab investigatione serva te et circa modum *quo haec sint* silentio utere, quia haec non veniunt sub comprehensionem rationalium. Ita et *Dominus*, cum apostolis suis praecepit ut praedicarent et baptizarent in nomine Trinitatis, modum *eius* eis non dixit, sed quid? « Qui crediderit et baptizatus fuerit vivet: qui vero non crediderit condemnabitur [3] ». Et Baptista dixit: « Qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui vero non acquiescit Filio non videbit vitam, sed ira Dei manebit super illum [4] ». His ergo credamus et acquiescamus absque investigatione ne ira veniat super nos. Qui absque navi fidei in mare incomprehensibilitatis se proiiciet, submergetur et vita eius peribit. « Spiritus est enim Deus [5] », et: « Spiritus ubi vult spirat [6] ».

Ita et Iohannes dilectus nobis significavit ea, quae ad divinitatem pertinent, esse inscrutabilia et investigabilia: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum [7] ». Quater dixit: « Erat Deus in principio apud Deum », sed modum tacuit. Et beatus Paulus nos docuit: « Per eum fecit saecula: et ipse est splendor gloriae eius et figura substantiae eius [8] ». Nos docuit eum esse hypostasim perfectam sicut Patrem suum, sed modum tacuit. Et angeli clamaverunt [9] hymnum trisagii ad manifestandas tres hypostases in una *essentia, sed modum p. 34.

[1] Seu, ut aiunt theologi, circumincessionis. — [2] Ioh., xiv, 10. — [3] Marc., xvi, 16. — [4] Ioh., iii, 36. — [5] Ioh., iv, 24. — [6] Ioh., iii, 8. — [7] Ioh., i, 1. — [8] *Hebr.*, i, 2-3. — [9] Cf. Is., vi, 3.

non didicerunt nec docuerunt. Ita etiam Ecclesia « Sanctum » praedicat : « Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus, in una glorificatione; sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis ». Quod auditum est ex angelis Ecclesia tenet et laudat sine dubitatione : unam sanctitatem in tribus sanctificationibus uni naturae sanctae quae est in tribus hypostasibus sanctis. Etenim non est dualitas in Trinitate, sicut nec quaternitas nec quintitas. Non est quidem trinitas numerorum; unus vero et unus et unus: unus Deus: et unus Deus: unus et unus et unus indivisibiliter, infinite, inconfusibiliter. Vocasti Patrem? Crede in eum et in Filium eius. Credidisti in Filium eius? Confitere etiam Spiritum sanctum. Quemadmodum nomen proprium est persona distincta et aeterna paternitatis, ita nomen proprium est persona distincta et aeterna filiationis, et nomen proprium est persona distincta et aeterna processionis; creator de creatore, omnipotens de omnipotente, infinitus de infinito, Trinitas aeterna in essentia per se exsistente, essentia aeterna in Trinitate per se exsistente. Non est quidem una hypostasis in una natura in tribus nominibus vacuis secundum impietatem Sabellii, sed hypostases perfectae et completae in una natura; neque hypostases diversae secundum essentiam suam iuxta insanum Arium, sed tres hypostases, Genitor, Genitus, et Procedens, in una natura sicut Adam et Heva et Abel sunt una natura. Pater pater verus: Filius filius verus; et Spiritus sanctus spiritus verus: una veritas infallibilis, una lux incorruptibilis, una natura immutabilis, una essentia impassibilis, una aeternitas invariabilis
p. 35. quae est sicuti *est, indivisibilis. Si enim dividis Filium a Patre et Spiritum sanctum ab utroque, perit veritas et introducitur mendacium. Et si ausus eris, o scrutator, limitare hypostasim Filii a Patre et unum numerare primum tanquam in principio, hypostasis Filii numerationem tuam confudit : « Ego sum in Patre meo [1] », et filius tonitrui contra te tonuit et te perdidit : « In principio erat Verbum [2] ». Rursus si ausus fueris numerare Filium post Patrem secundo loco, Pater te longe proiecit ab ordine numerorum : « Pater meus in me » et « Pater meus qui in me habitat [3] ». Item si praetendas disponere numera-

[1] Ioh., xiv, 10. — [2] Ioh., i, 1. — [3] Ioh., xiv, 10.

tionem tuam et separare et limitare in loco Spiritum sanctum a Patre infinito et a Filio infinito. Spiritus infinitus in divinitate sua in te insufflavit et vitam tuam exstinxit: « Spiritus sanctus qui a Patre procedit [1] », non eo sensu quod processit et limitatus est. sed quod ab aeterno procedit sine initio et sine fine, et est in eo et cum eo. ab aeterno et in saeculum. Pater est in Filio. et Filius in Patre. et Spiritus sanctus in Patre et Filio: et habitant in se invicem infinite. inconfusibiliter. inseparabiliter. sine admixtione. sine mixtione. sine distantia: sed dum distincti sunt, uniti sunt. et dum uniti sunt. distincti sunt. Non est distinctio absque unione nec unio absque distinctione in hypostasibus adorandis Patris et Filii et Spiritus sancti quae sunt in una natura aeterna et infinita: una virtus. una operatio, una voluntas. una dominatio, una potestas. una divinitas, una adoratio Patri et Filio et Spiritui sancto ab ore omnium caelestium et terrestrium in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus primus. Capita quinque.

*TRACTATUS SECUNDUS p. 36.

Caput sextum: De illo: Quare non unio Patris aut Spiritus sancti aut totius Trinitatis facta sit cum natura humanitatis nostrae sumpta a persona huius oeconomiae adorandae, sed *unio facta sit* uni de hypostasibus Trinitatis, id est, Deo Verbo. cum natura divinitatis una sit et aequalis in essentia sua?

Caput septimum: Exemplum ex natura *creata* de hac re.

Caput octavum: De unione quae facta est Deo Verbo, id est, uni de hypostasibus Trinitatis, quae est Filius aeternus, cum homine suo ex nobis quem assumpsit ad personam suam et fecit secum unum Filium in una unitate in aeternum.

Caput sextum: De illo: Quare non unio Patris aut Spiritus sancti aut totius Trinitatis facta sit cum natura humanitatis nostrae sumpta a persona huius oeconomiae adorandae, sed

[1] Ioh., xv, 26.

unio facta sit uni de hypostasibus Trinitatis, id est, Deo Verbo, cum natura divinitatis una sit et aequalis in essentia sua?

Quare non unio Patris aut Spiritus sancti aut totius Trinitatis facta sit cum natura humanitatis nostrae assumpta a persona oeconomiae huius adorandae quae facta est per Dominum nostrum Iesum Christum ad renovationem et salutem omnium, sed *unio facta sit* uni de hypostasibus Sanctae Trinitatis, id est, Deo Verbo? primum illos interrogabimus. Unionem quidem factam esse accepimus et confessi sumus; et Deum Verbum unitum esse personaliter humanitati nostrae quam fecit secum unum Filium in una dignitate et potestate, credidimus et tenemus sine dubio et sine investigatione; sed de modo amplius
p. 37. non est nobis investigandum et scrutandum *quia didicimus a beato Paulo divitias Christi esse inscrutabiles [1], nos autem debere credere corde et confiteri ore ut vivamus et iustificemur [2]. Sumus enim per fidem filii Abraham fidelis de quo dictum est: « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam [3] ». Et absque investigatione traditum est nobis a filio tonitrui qui hoc praedicavit caelicolis et terricolis, et receperunt illud sine dubitatione: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum [4] »; et post alia dixit: « Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis [5] ». Dic mihi: Quomodo mens posset hic iudicare, et investigare, et capere, et interpretari *haec*: In principio Deus apud Deum; Splendor de Patre et figura substantiae eius; Infinitus de Infinito; imo Lux de Luce, et Deus de Deo, et Vivens de Viventi, et Aeternus de Aeterno; Pater totus in eo toto infinite; et Filius infinitus; et Filius totus in eo toto secundum naturam suam divinam; natus Patris ab aeterno, et Genitor eius eum non praecessit; *Ipse est* ex Patre infinito et genitus ab eo et in eo exsistit; et Pater genuit et in Filio suo est: « Pater meus in me et ego in Patre meo [6] »; et quomodo natus eius in eo sit; et quomodo Pater sit in Filio quem genuit; et quomodo apud eum sit ab aeterno et in principio; et quomodo Filius posterior non sit causa sua secundum hypostasim, et Pater, qui est princi-

[1] *Eph.*, III, 8. — [2] Cf. *Rom.*, X, 9. — [3] *Gen.*, XV, 6; *Rom.*, IV, 3. — [4] IOH., I, 1. — [5] IOH., I, 14. — [6] IOH., X, 38.

pium, non sit prior nato suo secundum hypostasim? Simili modo id, quod ad Spiritum sanctum pertinet, propter incomprehensibilitatem, omnibus mentibus velocibus praecurrit, scilicet: Ex Patre procedit; Infinitus de Infinito; totus in Patre, totus in Filio, infinitus in se toto; *et hi* non sunt priores alter altero *sicut nec posteriores. p. 38.

Et quemadmodum cum ascenderit et cucurrerit cogitatio eius qui investigare audet ut cognoscat Patrem et quando Pater, inveniet eum esse in principio in hypostasi sua aeterna et in divinitate sua in qua non incepit, ita *inveniet* et Filium esse apud Patrem in principio et ab aeterno, secundum exemplum splendoris in sphaera *solis*, et verbi in anima, dum non incepit nec desinet: et Spiritum sanctum qui ab aeterno ex Patre procedit, et non incepit sicut non desinet in processione sua, et ipse est qui scrutatur profunda divinitatis, et non est locus qui eum separet nec momentum quod eum posteriorem aut priorem faciat, nec est ei forma corporea: « Spiritus est enim Deus »[1]: et quomodo incorporeo et infinito sint Genitor et Genitus et Procedens, et Genitor non sit Genitus nec Procedens, et Genitus non sit Genitor nec Procedens, et Procedens non sit Genitor nec Genitus, et hae proprietates incommunicabiles sint, sed dum uniti sunt, distinguantur, et dum distincti sunt, uniantur in infinitate, nec sint priores alter altero, nec posteriores.

Quod si modus harum rerum rebellis est investigationi, quomodo absque fide scrutaremur etiam illa quae ad hanc oeconomiam pertinent? Ecce enim omnia opera eius in fide sunt quia opera eius inscrutabilia sunt. Quomodo ex nihilo, in omnibus his variis speciebus quae numerum superant, cum ceteris quae facta sunt et futura sunt, mundus creatus fuerit, et cur non ante sex milia annorum creatus sit, et cur mansurus sit per totum hoc tempus et deinde renovandus sit; haec omnia factori eorum relinquamus, et credamus firmiter sicut praeceptum est nobis, et servemus mandata, ut per cogitationem quietam incomprehensibilitatis ascendamus in persuasione spei supra omnes comprehensiones: nam talia sunt ea quae spectant ad hanc oeconomiam adorandam et ineffabilem et ad unionem *incom- p. 39.

[1] Ioh., iv, 24.

prehensibilem. De Deo Verbo enim dictum est quod factus est caro, et revelatus est in carne, et ipse est forma Dei, consubstantialis Patri, et sumpsit ad personam suam formam servi, qui est homo Iesus Christus ex Maria: non vero Pater nec Spiritus sanctus. Et de eo dictum est propter concordiam voluntatis: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis [1] ». Et homo eius est templum Filii in singularitate personae, non autem *templum* Patris nec Spiritus sancti; tamen propter infinitatem naturae *hi tres* sunt omnino quid unum absque limitatione. Etenim non dictum est de Patre quod factus est caro, sed de Deo Verbo qui erat in principio apud Patrem. Neque Spiritus sanctus missus est et factus est de muliere, sed omnia, quae ad hanc oeconomiam spectant, personae Filii adscribuntur. Etenim Pater non est cum homine ex nobis *assumpto* unus Pater; nec homo ex nobis est cum Spiritu sancto unus Spiritus sanctus; cum Deo Verbo autem dicitur unus Filius Altissimi iuxta verbum angeli ad matrem eius: « Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi requiescet super te: propterea is qui nasciturus est ex te sanctus est et Filius Altissimi vocabitur [2] ». Et quemadmodum ea, quae ad divinitatem pertinent, vera sunt, et proprietates Patris et Filii et Spiritus sancti inter se incommunicabiles sunt, ita et haec: « Verbum caro factum est », et: « Misit Deus Filium suum », non referuntur ad Patrem nec ad Spiritum sanctum.

Itaque dicemus de iis ea quae sunt in Scripturis sanctis eaque elucidabimus sicut didicimus a Patribus veris qui nobis duces fuerunt in hac via sanguine conspersa, dum confidimus in Christo, spe nostra, qui infirmitati nostrae adest. Ipse enim omnia praecognoscit quia est Deus ab aeterno, et nihil est quod ei recenter adveniat aut menti eius occurrat: « Quis prius dedit
p. 40. ei ac deinde recepit *ab eo? Quoniam omnia ex ipso, et omnia in ipso, et omnia per ipsum; ipsi laudes et benedictiones in saeculum saeculorum. Amen [3] ». Et ad Ieremiam dictum est: « Priusquam te formarem in utero novi te [4]. Et Dominus noster nomine divinitatis suae dixit apostolis: « Vos a me electi estis ante fundamenta mundi [5] »: cum aliis eiusdem generis.

[1] *Rom.*, VIII, 3. — [2] Luc., I, 35. — [3] *Rom.*, XI, 35-36. — [4] Ier., I, 5. — [5] Cf. *Eph.*, I, 4.

Et quemadmodum essentia eius aeterna non incepit, ita non fuit initium scientiae eius. Quidquid enim in essentia sua secundum tempus incepit, incepit etiam in scientia sua secundum tempus. Deus vero, creator omnium, qui in Trinitate hypostaseon ad vitam nostram revelatus est, ab aeterno habet una cum essentia sua scientiam, et sapientiam, et virtutem, et potestatem, et nullo modo transfertur. Non enim eo quod incepit mundum creare, incepit etiam in scientia sua, sed ab aeterno hanc scientiam habet *qua cognoscit* quando conveniat sibi incipere *creare*, et cur, et quomodo, in toto ordine, in initio et in consummatione et in iis quae in medio sunt. Quamvis mundus initium et completionem habuerit intra sex dies creationis suae, Deus tamen in scientia sua non incepit, sicut nec in essentia sua. *Et scientia in eo est* sicut ars in artificibus; verumtamen ipse ex nihilo *creavit* et supra omnem admirationem. Ita et haec sunt aliquid mirabile et adorandum. Ab aeterno enim Deus, qui in Trinitate aeterna ad vitam nostram revelatus est, perfectionem suam contemplabatur, et *considerabat* quandonam et quomodo revelationem convenienter proferret, et *decrevit* futurum esse ut Deus Verbum, consubstantialis Patri et Spiritui sancto, cum voluntate ipsius aeterna, sese in carne revelaret, et unitive indueret personam oeconomiae suae natura nostra humana, et faceret eam secum unum Filium in una dignitate in aeternum, et adimpleret in ea totam oeconomiam vitae nostrae et salutis nostrae, et revelaret in ea scientiam suam, et renovaret in ea omnia in caelo et in terra, quemadmodum dictum est a beato Paulo in epistula *ad Corinthios p. 41. prima : « Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur, sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim illam cognovissent, Dominum gloriae non crucifixissent; sed sicut scriptum est : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum [1] ». Tu vero, o mirabilis, beatissime et illustris Paule, unde cognovisti et didicisti haec mysteria ita esse? Nonne

[1] I *Cor.*, II, 6-9.

« Deus nobis revelavit per Spiritum suum? Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [1] ». Ita est et illud quod ad Ephesios in gratiarum actionem dicit: « Benedictus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omnibus benedictionibus spiritalibus in caelo in Christo, sicut praeelegit nos in ipso a fundamentis mundi ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius [2] ». Rursus dicit: « Et notum fecit nobis sacramentum voluntatis suae, quod proposuit ut faceret in eo ad dispensationem plenitudinis temporum, ut denuo in Christo omnia renovarentur, quae in caelo et quae in terra [3] ». Iterum ait: « Mihi, qui minimus sum omnium sanctorum, data est gratia haec, evangelizare in gentibus divitias Christi inscrutabiles, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti quod absconditum est a saeculis in Deo qui omnia creavit, ut per Ecclesiam innotescat multiformis sapientia Dei principatibus et potestatibus in caelo, quam paraverat a saeculis et fecit in Iesu Christo Domino nostro [4] ».

Itaque ex his omnibus testimoniis validis atque verissimis p. 42. patet scientiam huius oeconomiae divinae *ab aeterno fuisse *et* testimonium venisse in tempore suo. Et propter hanc *oeconomiam* fuerunt promissiones ad Patres; propter hanc, populus separatus est et non commixtus est cum gentibus; propter hanc, lex: « Lex paedagogus nobis fuit ad Christum [5] »; propter hanc, sacramenta et figurae et allegoriae: « Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico de Christo et de Ecclesia eius [6] »; et: « Haec omnia facta sunt nobis figura [7] »; et propter hanc, signa et umbrae *spectantia* ad corpus perfectissimum quod est Christus; et propter hanc, lex et prophetae: « Lex et prophetae usque ad Iohannem, et deinde regnum Dei evangelizatur [8] ». Nomina enim Patris et Filii et Spiritus sancti iam in Vetere Testamento indicata fuerant mystice, sed non accurate, quemadmodum hypostases aeternae nunc ad vitam nostram revelatae sunt, id est, hypostasis Patris qui ab aeterno habet Filium unigenitum sibi consubstantialem et aequalem secundum hypostasim sicut seipsum. Sed in hoc *Vetere Testamento* natura divina appellabatur Pater propter curam et sollicitudi-

[1] I *Cor.*, II, 10. — [2] *Eph.*, I, 3-4. — [3] *Eph.*, I, 9-10. — [4] *Eph.*, III, 8-11. — [5] *Gal.*, III, 24. — [6] *Eph.*, V, 32. — [7] I *Cor.*, X, 6. — [8] Luc., XVI, 16.

nem et providentiam Dei specialem erga illos *Hebraeos* et quia separati erant ab aliis gentibus, secundum illud: « Filii Elohim [1] »; et: « Filius meus, primogenitus meus, Israel [2] »; et: « Dimitte filium meum ut serviat mihi [3] »; et: « Si non vis dimittere filium meum [4] »; et: « Numquid non ipse est pater tuus qui possedit te? [5] »; et: « Tu, Domine, pater noster es tu [6] »; et secundum illud quod in promissione propter hanc oeconomiam, tanquam in familiaritatem et unionem, mystice, etsi abscondite, *dictum est, nempe* eum futurum esse ex genere David: « Ipse invocabit me: Pater meus es tu: et etiam ego primogenitum ponam illum [7] » et: « Ipse erit mihi in filium et ego ero ei in patrem [8] ». Nunc etiam de Spiritu *sancto, fonte p. 43. vitae, non quemadmodum nos cognovimus et credidimus ad vitam nostram, sic et illi cognoscebant eum esse hypostasim sicut Patrem in omnibus suis et procedere ex Patre ab aeterno, et esse Dominum Deum in una natura divina cum Patre et cum Filio; sed *eum cognoscebant* propter curam et sollicitudinem eius erga seipsos, aut propter suavitatem et bonitatem eius, secundum illud: « Spiritus tuus suavis deducet me in viam vitae [9] »; et: « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me [10] », etc., et quemadmodum homo dicitur mens bona et anima suavis et spiritus mitis, etc., dum haec non reputantur esse hypostases extra hominem.

Itaque, hoc non obstante, quod lux veritatis vivificantis orta est in universo mundo, Iudaei tamen impii, in tenebris degentes, si dicas coram eis: Exsistit Deus Pater qui ab aeterno habet Filium secundum hypostasim, et exsistit Spiritus sanctus secundum hypostasim in una essentia aeterna et divina, haec non solum ut fabulam sed etiam ut blasphemiam reputant. Et quot sunt haeretici, qui ad instar zizaniorum in Ecclesia pullularunt, et modis diversis, sicut illi, Patrem et Filium et Spiritum sanctum blasphemaverunt! Et hoc modo etiam Iudaei negant Dominum nostrum, dicentes: Nobis est unus Pater, nobis est *unus* Deus. Verumtamen haec nomina Patris et Spiritus sancti superne inceperunt et inter eos manserunt, secundum illud: « Dominus Deus misit me et spiritus eius [11] »; et: « Quo ibo a spiritu tuo,

[1] *Gen.*, VI, 2. — [2] *Ex.*, IV, 22. — [3] *Ex.*, IV, 23. — [4] *Ibid.* — [5] *Deut.*, XXXII, 6. — [6] Is., LXIV, 8. — [7] *Ps.* LXXXVIII, 27-28. — [8] II *Reg.*, VII, 14. — [9] Cf. *Ps.* CXLII, 10. — [10] *Ps.* L, 13. — [11] Is., XLVIII, 16.

et quo a facie tua me abscondam? [1] », quamvis accurata fides
de his nominibus, quae personas hypostaseon denotant, cognita
non fuerit ante revelationem Domini nostri Christi in carne
et post descensum Spiritus. Nomen Filii vero, iuxta sacramenta
et figuras et allegorias et indicationes quae de eo et propter
eum delineata erant, infra illuxit ad vitam nostram. Et hoc
p. 44. *factum est* sicut conveniebat sapientiae *infallibili, ut pue-
ritia vigeret in initio revelationis Christi et desiderio mota
veniret ad perfectionem. Propter hoc et ob hanc causam *hoc
nomen* oeconomiam adorandam praecesserat. Nam omnis, erga
quem Deus specialem curam et honorem habebat, nomen filii
Dei in familiaritatem et dignitatem a communi diversam gratis
accipiebat, secundum illud quod ad Israel dictum est: « Filius
meus, primogenitus meus [2] », et ad Salomonem, et ceteros
alios. Et praesertim hoc nomen filiationis, tanquam in pro-
missionem, datum est beato David propter caput vitae no-
strae quod e genere eius ortum est, sicut explicat beatus
Paulus, quamvis *homines*, tempore initii Evangelii eius, subli-
mitatem unionis excelsae non cognoscerent. Ita et hoc nomen
Christi *datum est* ei, qui ad regnum aut dispensationem
quamcumque ungebatur: Unctus Dei vocabatur. Ita et *Iudaei*
exspectationem habebant quasi e Scripturis sacris, quod Chri-
stus venturus esset, — quamvis nondum cognoscerent excelsa
eius, et putarent eum futurum sicut unum de meris unctis,
etsi eis excellentiorem, nam divinitatem eius non cognosce-
bant, — ne, quando revelaretur veritas in initio Evangelii,
nomen et res sint insolita auditui, dum paulatim manifestatur
et perficitur scientia in completione sua per dona et doctrinas
et virtutes mirabiles quae per Spiritum sanctum facta sunt.
Propter hoc et ob hanc causam iustum erat et rectum et valde
conveniens ut Filius in seipso, id est, Deus Verbum, non autem
Pater nec Spiritus sanctus, personaliter, cum voluntate Patris
et Spiritus sancti, hanc oeconomiam adimpleret per revelatio-
nem suam in carne, quamvis una sit essentia et virtus et po-
testas et dominatio et voluntas *Trinitatis*. Fieri enim non po-
p. 45. terat ut *Pater hanc oeconomiam inchoaret, et ab angelo
p. 46, l. 10. designaretur in unione *homo [3] qui assumitur, *his verbis*:

[1] *Ps.* cxxxviii, 7. — [2] *Ex.*, iv, 22. — [3] De ordine textus restituto, cf. praefationem ad textum.

Pater Dei vocabitur, et: Filius misit me, et: Hic est Pater meus in quo mihi complacui. Hoc enim videretur inversio ordinis quod effectus causam mittat, et Filius testimonium daret; quia non solum id non congruum erat, sed, sicut dixi, etiam indicationes et sacramenta et allegoriae iam delineata fuerant de revelatione Filii secundum carnem. Hoc non erat insolitum, illudque aures accipiebant. Nam ii secundum gratiam vocati erant filii et uncti et salvatores, qui a Deo missi fuerant temporibus diversis ad salutem populi, sicut Moyses et David et alii ceteri. Hinc bene accepta sunt verba angelica ad pastores: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Dominus Christus in civitate David [1] », secundum promissiones antiquas et exspectationes in omnibus generationibus. Patrem autem esse per unionem cum humanitate unam personam Patris et habere Filium non unitum in omnibus sibi consubstantialem, et similem sibi etiam in unione, et *Filium* nasci ex Patre unito, non congruum erat. Neque auditus id accepisset *nempe* Patri unito esse Filium *consubstantialem, non unitum et simplicem, in p. 47.
omnibus ipsi similem; et falsum esset illud: « Splendor et figura substantiae eius ». *Illud* autem: Filius unitus ex Patre non unito, potuit fieri et etiam accipi ab audientibus: primo, secundum naturam eius aeternam qua appellatus est Splendor et Verbum ut nos per eum exaltaremur ad Patrem ex quo natus est hypostatice sine successione et ante tempora; et rursus, secundum cognationem humanitatis eius unitae quae est in una adhaesione cum eo una persona filiationis. Et id accepit auditus etiam ab initio dum audientes in scientia perficiebantur, quia, sicut dixi, indicationes et sacramenta et allegoriae iam manifestata erant apud populum per educationem legis et prophetiam prophetarum, v. gr.: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis [2] »; et: « Ipse erit mihi in filium [3] »; et: « Donec veniat is cuius est regnum, et exspectabunt eum gentes [4] », etc. Quomodo enim accepta fuisset auribus haec vox superna de caelo: Hic est Filius meus, quae per contrarium sit: Hic est Pater meus in quo mihi complacui? Etenim usque nunc omnino ignorabatur Filium aeternum exsistere secundum hypostasim sicut Patrem, quemadmodum dixit Dominus noster: « Vos me non

[1] Luc., II, 11. — [2] *Ps.* CIX, 1. — [3] II *Reg.*, VII, 14. — [4] *Gen.*, XLIX, 10.

cognoscitis neque Patrem meum [1] ». Filio autem haec vox bene congruebat, et etiam accepta fuit, quia indicatio eius p. 45, l. 2. praecesserat *sicut dixi, et res non erat insolita auribus. Ita nec de Spiritu sancto hoc accipi potuisset ab hominibus qui « neque si Spiritus sanctus est [2] » secundum hypostasim e Patre procedens credebant. Quomodo enim Spiritus sanctus de seipso unito cum humanitate in una persona dixisset: Ego e Patre processi; et: Ego sum qui scrutor profunda divinitatis? cum in Scripturis nihil omnino innuebatur de processione eius hypostatica e Patre. Et quomodo Pater clamare potuisset: Hic est Spiritus sanctus in quo mihi complacui; aut Filius superne testificari: Hic est Spiritus sanctus qui ex Patre procedit? De Filio autem haec accipienda erant in tempore suo convenienter: in initio secundum pueritiam, et postea in virili aetate secundum scientiam. Etenim via trita erat, et ostium amplum apertum erat, et ostiarii vigilabant custodientes, et creaturae exspectabant adventum Christi regis in via trita et complanata. Et Lex ianitor festinabit aperire ostium legale cum omni laetitia cordis: « Invenimus Messiam [3] ». Et nuntius et propheta in proximitate clamabat auribus audientium, ostendens illum esse Christum, etsi tunc non cognoscebant divinitatem eius et aeternam eius generationem quae unitive exsistit in humanitate eius, sicut Christus ipse dixit ad populum: « Vos secundum corpus iudicatis [4] »; et: « Cum exaltaveritis Filium hominis, in hac die cognoscetis quia ego sum [5] ». Etenim propter hanc unionem adorandam et ineffabilem etiam nomen Christi cum nomine filiationis iam indicatum fuerat neque hoc insolitum erat auditui. Sed quid tunc? Ecce p. 46. iam nunc rex incepit revelari. Praecones terruerunt eos *cursu veloci. Qui exspectabant inceperunt interrogare nuntium qui ei praeibat, — nam viderant magnalia eius maiora quam priorum: — « Tu qui es? [6] » quia tam excelsa sunt tua, et remissionem peccatorum per opera in poenitentia praedicas. Ille, cum omni demissa humilitate, eis fidem facit: « Non sum ego Christus [7] », sed nuntius sum ante eum; et: « Ego sum vox clamantis in deserto [8] », quod est allegoria eorum ad quos

[1] Ioh., viii, 19. — [2] Cf. *Act.*, xix, 2. — [3] Ioh., i, 41. — [4] Ioh., viii, 15. — [5] Ioh., viii, 28. — [6] Ioh., i, 19. — [7] Ioh., i, 20. — [8] Ioh., i, 23.

clamo, quia ad tempus destituti et vacui sunt cognitione vera et exercitio sincerae virtutis; et sicut praedictum *est de me p. 49, l. 1. in prophetia: « Parabo viam Domini et rectas faciam semitas Dei nostri in planitie [1] ». Et ita mansiones convenientes et praeclarae praeparatae erant per quas rex ingressurus erat: « Non auferetur sceptrum de Iuda nec expositor de inter pedes eius donec veniat is cuius est regnum, et exspectabunt eum omnes gentes [2] » etc.; et: « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel [3] ». Et alius alio modo *dicit*: « Et tu, Bethlehem Ephrata, non minima es in regibus Iuda; ex te enim egredietur rex qui pascet populum meum Israel [4] »; et alius laetanter clamat: « Ecce venit mansuetus, sedens super asinum et super pullum filium asinae [5] ». Et alius de gloria ingressus eius dicit: « Pueri et puberes laudabunt eum [6] ». Et alius ait: « Principatus eius super humerum eius [7] », qui est crux victrix; et alius dicit: « Occidetur et etiam civitas destruetur [8] »; et alius in nomine eius vaticinatur eum surrecturum de sepulcro incorruptum et in inferno non derelinquendum: « Non dereliquisti animam meam in inferno nec dedisti sanctum tuum videre corruptionem [9] »: et revixit immortalis et immutabilis. Et dictum est eum futurum esse primogenitum fratrum multorum in adoptionem filiorum ad redemptionem corporum nostrorum, iuxta illud: « Filius meus es tu; ego hodie genui te [10] », quod explicat beatus Paulus: « Ita Deus suscitavit eum a mortuis ut amplius non videret corruptionem [11] ». Et idem beatus David clamavit de gloria eius post resurrectionem et de exaltatione in qua factus est a Deo qui in eo est eique omnia subiicit: « Quid est homo quod memor eius fuisti et filius hominis quoniam visitasti eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis et honore et gloria coronasti eum [12] ». Quod ipse ascendit et exaltatus est per honorem *in p. 50. unione et factus est in ordine divinitatis per dominationem in aeternum, idem avus eius prophetaverat: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum sub pedibus tuis [13] ».

[1] Cf. Is., xl, 3. — [2] *Gen.*, xlix, 10. — [3] Is., vii, 14. — [4] Mich., v, 2. — [5] Zach., ix, 9. — [6] Cf. *Ps.* cxlviii, 11. — [7] Is., ix, 6. — [8] Cf. Dan., ix, 26. — [9] *Ps.* xv, 10. — [10] *Ps.* ii, 7. — [11] *Act.*, xiii, 34. — [12] *Ps.* viii, 5-6. — [13] *Ps.* cix, 1.

Itaque cum haec in prophetia iam praecessissent, et finem disposite, in ordine et tempore suo, accepissent, convenienter p. 47, l. 21, quidem *post nativitatem et baptismum *Christi*, signa et virtutes et alia mirabilia facta sunt a Domino nostro et per apostolos eius; et crucifixus est, et surrexit cum omni mirabili stupore, et viderunt eum discipuli eius et certiores facti sunt de resurrectione eius; et ipse eis promisit quod Spiritus veniret et eos doceret et confirmaret et pasceret in omnibus necessariis ad completionem praedicationis eius. Et ecce, sicut prae- p. 48. dixerat eis, viderant eum ascendentem *in caelum [1], et iuxta promissionem eius Spiritus descendit et docuit et erudivit et pavit eos in omnibus mirabilibus. Itaque credibile fuit etiam hoc quod ipse iam significaverat eis per multa quae docuerat: se esse Deum ex Patre genitum ab aeterno, et cum maxima humilitate induisse humanitatem nostram, et unitive habitare in hoc templo humanitatis nostrae ad completionem huius oeconomiae adorandae et renovationem salutemque omnium, et venturum esse in hac unione cum gloria sua magna ut efficiat resurrectionem et iudicet orbem terrarum in aequitate. Quid igitur dicunt Petrus et Iohannes ad eum qui claudus erat ex utero matris suae? « In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni surge super pedes tuos [2] », et eventus secutus est secundum vocem et verbum. Credibilis fuit etiam doctrina beati Iohannis evangelistae quam tonuit ad omnes sub caelo: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum »; et: « Omnia per ipsum facta sunt »; et: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [3] ». Rursus, hoc etiam *credibile fuit* quod de humanitate eius dictum est a beato Petro: « Dextera Dei exaltatus est [4] »; et: « Ipse est qui pertransiit et sanavit quoniam Deus erat cum illo [5] ». Rursum, cum beatus Paulus dixisset ad alterum claudum ex utero matris, in civitate Lystris, alta voce, in virtute Spiritus sancti: « In nomine Domini nostri Iesu Christi surge super pedes tuos [6] », et eventus secutus esset vocem, credibile fuit sacramentum Evangelii quod annuntiat omnibus sub caelo: « Apparuit in carne [7] »; et: « Forma Dei formam servi sumpsit [8] »;

[1] Cf. *Act.*, I, 11. — [2] *Act.*, III, 6. — [3] Ioh., I, 1, 3, 14. — [4] *Act.*, II, 33. — [5] *Act.*, X, 38. — [6] *Act.*, XIV, 9. — [7] I *Tim.*, III, 16. — [8] *Philip.*, II, 7.

et : « Ipse est splendor gloriae eius et figura substantiae eius, et tenet omnia virtute verbi sui [1] ».

Igitur propter haec et ob haec *testimonia *quae tempore suo p. 49, l. 1. p. 50, l. 6. venerant, Deus Verbum humanitatem nostram ad personam suam unitive sumpsit et fecit illum *hominem ex nobis* secum unum Filium Dominum qui est Iesus Christus heri et hodie, ipse et in aeternum [2], in una voluntate et virtute et potestate et dominatione. Non autem Pater nec Spiritus sanctus *humanitatem sumpsit* in hac oeconomia, quamvis una sit natura et virtus et potestas et voluntas Patris non uniti, et Filii uniti, et Spiritus sancti non uniti, in una gloria et adoratione, in saeculum saeculorum. Amen.

CAPUT SEPTIMUM : Exemplum ex natura *creata* pro instructione puerorum de hac re.

Sed dicemus per exemplum et similitudinem e natura *creata*, pro instructione puerorum et dubitantium, quomodo unio cum humanitate nostra Deo Verbo tantum facta sit, cum natura infinita una sit unaque aequalitas Patris et Filii et Spiritus sancti. Supra quidem, secundum veritatem Scripturae, explicavimus quod, etsi una est natura et voluntas Trinitatis, persona tamen filiationis totam tulit oeconomiam quae facta est propter salutem nostram ; sed etiam ex iis, quae ad naturam *creatam* pertinent, parvum exemplum sumamus in similitudinem incomprehensibilitatis. Verumtamen decet iudices veritatis scire quod exemplum quodcumque, ad *docenda invisibilia adhi- p. 51. bitum, non est in omnibus simile ; alioquin non esset exemplum, sed res ipsa quae ad faciem videtur et percipitur absque exemplo similitudinis ex alia natura ; v. gr. si homo vult scire quae sint natura et hypostasis Adam, ecce cognoscit eas in singulis hypostasibus hominum ; quod non est exemplum, sed ipsa rei veritas. Similitudo autem ostendere nequit naturam et hypostasim illius quod exemplo indiget. Ita enim Scriptura, ostendere volens per exemplum quomodo hypostases adorandae non sint priores aliae aliis, licet sint causa et effectus, Pater genitor, et Filius genitus Spiritusque sanctus procedens qui sunt ex Patre sine successione, sine divisione, et sine momento, adduxit illud :

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] Cf. *Hebr.*, XIII, 8.

« splendor », et « verbum »; quamvis splendor et verbum non sint res subsistentes sed virtutes et operationes. Verumtamen adductum est exemplum, et acceptum est in similitudinem, et explicatum est quod non est virtus nec operatio, quia addidit: « Figura substantiae eius », et: « Deus est Verbum », et reliqua. Itaque hic etiam ponamus similitudinem, non quidem similitudinem ex omni parte, quia non sicut afferimus exempla quae natura inter se differunt, ita debet litigiosus ea intellegere secundum naturas diversas, iuxta sententiam arianam. Sed per modum exempli illud sumimus quo et Patres ante nos usi sunt ad persuasionem litigiosorum ut *explicarent* quomodo Pater et Filius et Spiritus sanctus, dum sunt una natura infinita et tres hypostases infinitae, in se invicem habitent inconfusibiliter, et serventur proprietates singularum personarum sine mixtione, et *quomodo,* dum una est natura et potestas
p. 52. et voluntas et infinitas, unio cum forma servi *sumpta Deo Verbo tantum facta fuerit.

Ponatur ergo, similitudinis causa, pro infinitate et spatio incircumscripto, hoc spatium circumscriptum quod est inter firmamentum et terram. Tunc in illud spatium tacite effunde aerem donec plenum sit et nulla regio ab eo sit vacua; et deinde animo adde quod in toto hoc spatio, quod est inter firmamentum et terram et aere omnino plenum est, sol ortus est cum radio suo fulgenti et calore suo, dum aer coram eo non recessit nec capacitas *loci* aucta est, sed eadem est ex quo sol totum spatium inter caelum et terram implevit. Et hoc modo *[in uno spatio sol illuminans et calor et]*[1] aer sunt sine confusione, sine mutua limitatione. Sol cum calore suo non confunditur nec miscetur, quia mens rationalis distinguit quod calor non sit lux, nec lux calor. Etenim cum primum creata sunt quattuor elementa, quorum unum est ignis cum calore suo, lux creata non erat; nam ecce ignis est per modum mixtionis in lapidibus et etiam in aliis materialibus, quemadmodum videmus eum exire e lapidibus et concussione fluctuum maris, et est etiam in ceteris materiis, et urit et ostendit operationem suam cum tamen luce non ardeat, v. gr. urunt sinapis

[1] Haec excidisse videntur.; cf. infra p. 43, l. 15.

et alium et thapsus [1] et euphorbeum [2], et calx et alia eiusdem generis quae tamen lucem non proferunt. Et lux etiam videtur in multis rebus et cum calore non commiscetur, v. gr. videtur in lapidibus qui noctibus lucent et res ostendunt, et in herbis quae in agro lucent et in volatilibus parvis *quae fulgent radio- p. 53.
rum lampadis instar dum lux eorum non est lux ignis, et in ceteris aliis. Et ecce, ut aiunt, oculi omnium ferarum noctibus lucent lampadis instar. Evidens est ergo quod calor solis a luce eius mente separari potest. Ita et hoc videmus de aere. Ecce enim videmus quod sol cum luce et calore suo discedit et absconditur et a nobis se separat tempore noctis, et aer remanet sicuti est, implens *spatium* inter firmamentum et terram, cum nullum detrimentum patitur propter discessum lucis, nec deminutus est aut contrahitur ab expansione sua cum in eo oriuntur lux et calor solis. Et in uno spatio sunt sol illuminans et calor eius et aer sine confusione, sine mixtione, sine commixtione, sine admixtione. Etenim mixtio (mauzagā [3]) corruptionem facit, et partes eius, postquam mixtae sunt, non possunt separari; et partes, quae mixtae sunt, etiam quantitatem suam mutuo augent. Ita etiam quod attinet ad commixtionem (ḥbūkyā [4]). In commixtione mixta partes, post commixtionem, non possunt separari, quemadmodum commiscet quis farinam tritici aut hordei et ervi cum calce aut pulvere et aliis huiusmodi, quae post commixtionem separari non possunt. Ita et de admixtione (ḥūlṭana [5]); partes, quamvis non commisceantur, sicut fabae et grana triticea et hordeacea, attamen, etsi separari possint in admixtione sua, per mutuam admixtionem quantitatem augent et spatium maius occupant. Hoc modo per hoc parvum exemplum depinxisti exemplar essentiae Dei absconditae et incomprehensibilis. Aer non commiscetur, nec admixtionem nec mixtionem habet cum sole et calore eius: nec sol et lux eius sunt modo admixtionis et commixtionis et mixtionis cum calore qui in aere est aut cum aere qui est in

[1] In margine: thapsus, id est, raphanos agrestis, amara gustu. *Arabice*: saḏābun ǵabalīyun, *id est, ruta montana.* — [2] In margine: Euphorbeum, id est, planta alcalina. — [3] Dicitur de mixtura rerum liquidarum. — [4] Dicitur de mixtura solidorum quorum partes separari non possunt, v. gr. de variis speciebus farinae. — [5] Dicitur de mixtura solidorum, quorum partes separari possunt, v. gr. de granis triticeis, etc.

p. 54. calore et luce *solis, nam ecce mens ea ab invicem separare potest secundum naturam eorum, ut supra ostensum est.

Nunc igitur sume per modum exempli subtilis aliquam parvam partem aquae eamque aeri coniunge. Videbis per hanc unionem factam inter aquam et aerem expansum, quo omnia sub caelo plena sunt, spatium nullum incrementum accepisse secundum quantitatem; nam ecce tota cavitas a caelo usque ad terram aere omnino plena erat; et postquam hoc paululum aquae in evaporatione sua per aerem assumptum est et aeri coniunctum est, et factum est nubes lucida, capacitas *loci* eadem est. Tunc, simili modo, tacite diffunde eumdem solem et calorem eius et hunc aerem unitum aquae quam sibi sumpsit in vaporem tenuem, et vides eamdem esse inconfusionem in infinitate plenitudinis aeris respectu huius aquae. Aer enim coniunctus est cum aqua in nubem tenuem; et *spatium* replet ipse una cum aqua cui per evaporationem in unam nubem coniunctus est; et idem sol *manet* lucidus cum calore suo. Vapor enim aquae per unionem cum aere nubem constituit. Aqua quidem non coniungitur luci ad formandam nubem, neque calori quia calor vaporem aquae dissipat. Aeri autem aqua bene coniungitur ad constituendam nubem vapoream et subtilem quae non prohibet lucem et calorem solis per ipsam transire et omnia sub caelo illuminare, dum *sol* totaliter est in aere qui vapori tenui aquae coniunctus est. Sic ex hoc exemplo imperfecto similitudinem accipiamus. Deus Verbum enim, consubstantialis Patri et Spiritui sancto, sumpsit hominem suum eumque sibi
p. 55. coniunxit personaliter in una filiatione, dum *infinitus est sicut Pater et Spiritus sanctus. Supra quidem diximus fieri non potuisse in hac dispensatione ordinata, ut illa oeconomia adoranda adimpleretur a persona Patris aut Spiritus sancti, sed, spectata praeparatione antecedente, tantum a persona Filii. Et ita, Patre et Filio et Spiritu sancto in una essentia unaque infinitate exsistentibus, Deus Verbum humanitatem nostram sumpsit eamque sibi coniunxit in una filiatione et tamen Trinitas nullam additionem in natura sua infinita recepit. Et Pater et Spiritus sanctus infinite habitant in Filio infinito qui ad personam suam hominem finitum sumpsit, in quo unitive et infinite habitavit, cuique omnia sua, praeter naturam suam, dedit secundum exemplum aeris et aquae. Et eadem essentia infinita est in hyposta-

sibus infinitis, Patre non unito et Filio unito et Spiritu Sancto non unito, in una gloria et exaltatione in aeternum.

Rursum, *adhibeamus* aliud exemplum, quia dilectio vestra me rogavit ut, cum *testimoniis* e Scripturis, etiam *argumenta* e natura rerum sumerentur in similitudinem, sicut et Patres fecerunt; quia et Patres hoc exemplum ad persuasionem litigiosorum adducunt. Fingas igitur animo tres lampades fulgentes et absque materia, quae perfectae sunt in omni illuminatione sine defectu, et introduc eas in domum aliquam; videbis hanc domum omnino plenam esse luce lampadum. Deinde animo accipe unam ex his lampadibus et educ foras: ecce eadem domus impletur luce duarum lampadum nec defecit. Et educ aliam
lampadem, et eadem *lux domum implet. Rursus introduc has p. 56.
lampades in domum: eadem est lux, nam nec quantitas lucis aucta est, nec spatium maius factum est propter remotionem et introductionem lampadum, quemadmodum lux lunae aut flammae ingentis luci solis per diem nihil addit. Rursus, animo educ unam ex his lampadibus, quae non sunt coniunctae materiis, et per unionem accende cum ea aliquam parvam materiam, sive ligni cedrini, ʳsive parvae quantitatis [1], et rursus affer eam ad lampades vicinas eius, et videbis eamdem esse quantitatem lucis, cum haec parva materia nullum incrementum fecerit, quia tres lampades illae perfectae sunt in luce sua perfecta, sicut hic sol sensibilis cuius luci nihil addi potest; et idem est de luce lampadum. Etenim in se habitant inconfusibiliter, et haec una materia cum hac lampade coniungitur in una luce inconfusa cum duabus lampadibus non unitis; lux non unita, lux unita, lux non unita: una lux. Ita et simili modo, Deus Verbum, id est, forma Dei, coessentialis Patri et Spiritui sancto, lux de luce, Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri et Spiritui sancto, formam servi ad personam suam unitive sumpsit et in eo habitavit unitive in una adhaesione, sine mixtione, sine admixtione, sine commixtione, sine confusione, et eum fecit secum unum Filium in aeternum. Et Filius unitus habitat in Patre non unito;
et Spiritus sanctus non unitus *in Patre non unito et in Filio p. 57.
unito; et Pater non unitus habitat in Filio unito et in Spiritu

[1] Locus corruptus; videtur fuisse scriptum « sive ligni cedrini sive ligni *talis* in parva quantitate ».

sancto non unito, in una infinitate inconfusa, et sicut ipsi sciunt.

Nec additio facta est Trinitati propter assumptionem, nec locus, nec limes: et eadem Trinitas est in essentia sua infinita ab aeterno et in aeternum, dum hypostases eorum servantur sine confusione in essentia infinita et in una natura, et in se invicem habitant sine admixtione, sine mixtione, et sicut ipsae sciunt. Ita et in hac unione adoranda Deus Verbum, qui est hypostasis infinita sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, coniunctus est cum hypostasi finita hominis sui quem ad personam suam assumpsit, sicut ignis cum rubo, in una persona filiationis, sine confusione, sine mixtione, sine admixtione, servatis proprietatibus utriusque naturae in hypostasibus earum in una adhaesione unius Domini Iesu Christi, Filii Dei: ipsi et eius Patri et Spiritui sancto laus et gloria et adoratio et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

Caput octavum: De unione quae facta est Deo Verbo, id est, uni de hypostasibus Trinitatis, quae est Filius aeternus, cum homine suo ex nobis quem assumpsit ad personam suam et fecit secum unum Filium in una unitate in aeternum.

Nunc dicemus in virtute Christi, spei nostrae et capitis vitae nostrae et Dei nostri, qui adest infirmitati et debilitati nostrae et deficientiae scientiae nostrae puerilis, secundum fiduciam nostram in ipsum, de illa oeconomia adoranda quae facta est propter salutem nostram et renovationem omnium per Dominum nostrum Iesum Christum, et de omnibus ad eum
p. 58. pertinentibus, prout nobis datum est per *copiosas eius misericordias ex thesauris eius beatis qui numquam defecerunt nec deficient, secundum sensum Librorum sanctorum et traditionem Patrum verorum in spiritu loquentium, qui fuerunt columnae firmae et lumina splendida et solaria in Ecclesia sancta Christi, qui ipse est caput eius sublime. Ita enim Ecclesia Christi, ab initio praedicationis eius vivificantis, credit et tenet et tradit per omnes generationes in saeculum, sicut accepit a Domino nostro et apostolis eius beatis quos constituit lumen mundi: una de hypostasibus Trinitatis adorandae et consub-

stantialis. — id est [1] Filius unigenitus, Deus Verbum, coaeternus Patri et Spiritui sancto, natus ex Deo Patre ab aeterno, ante omnia saecula et supra tempora, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, genitus non factus, consubstantialis Patri et Spiritui sancto, per quem omnia facta et creata sunt; *illae autem hypostases* [2] aequales sunt simul in omnibus suis, in essentia et virtute et potestate et voluntate, excepta proprietate personali hypostaseon suarum; paternitate, scilicet, et filiatione et processione; — Filius, nimirum, Deus Verbum, coaeternus Patri et Spiritui sancto, propter nos homines et propter salutem nostram, descendit immobiliter, nam caelum et terra infinitate naturae eius plena sunt, et, cum voluntate Patris et Spiritus sancti, per humilitatem mirabilem et stupendam quae aequalem non habet, incarnatus est et inhumanatus per Spiritum sanctum et ex Maria virgine, id est, sumpsit ex ea hominem completum qui de Spiritu sancto uniter et sine coitu conceptus est, et secundum ordinem naturae suae humanae formatus est, et anima rationali animatus est post quadraginta dies in ipsa unione, et expletis novem mensibus, sicut omnes pueri, e *beata Maria natus est; e natura quidem p. 59. eius sed supernaturaliter, nam destructa non sunt signa virginitatis eius nec corrupta sunt sigilla naturalia verae castitatis eius splendidae; quem in ipsa unione, Deus Verbum, qui in ea erat, induit; et ipse est templum et domicilium et habitaculum *Verbi* in una adhaesione in aeternum; ipsa autem beata Virgo erat ex genere et progenie domus David et Abraham, secundum promissiones ad eos olim factas et secundum verba prophetarum qui in omnibus generationibus eum praenuntiaverant, et sicut beatus Paulus elucidavit: « Non de angelis sumpsit, sed de semine Abraham [3] »; et: « Suscitavit illis David regem; ex semine huius Deus, sicut promiserat, suscitavit Israel Iesum Salvatorem [4] ». Non enim suscitatus est et deinde assumptus et unitus; sed cum initio formationis eius fuit assumptio eius a Deo Verbo, qui in eo habitavit sicut in templo uniter, et fecit eum secum unum Filium in una gloria et adoratione, in

[1] Explicat auctor primum quae sit « una », deinde quales sint « hypostases ». — [2] Hic aliquid fortasse excidit. — [3] *Hebr.*, II, 16. — [4] *Act.*, XIII, 22-23.

una adhaesione ineffabili unius personae Christi, Filii Dei, in aeternum. Nec naturae confusae sunt propter unionem, nec admixtae, nec mixtae in suis hypostasibus per proprietates suas distinctis; nec ordines naturales [1] mutati sunt, sed, dum uniti, distincti sunt, et, dum distincti, uniti sunt in una persona in aeternum: et natura Dei Verbi servatur sine mutatione in hypostasi sua sicut Pater et sicut Spiritus sanctus. Ita et homo, quem assumpsit ad personam suam uniter, formatus est, et membris coagmentatus, et anima praeditus, et natus est secundum naturam suam in unione, et adoratus est a Magis in unione, propter Deum Verbum qui in eo habitat ab initio formationis eius. Deus adoratus est et adoratur in templo suo, et templum eius adoratum est et adoratur propter divinitatem, quae in eo est, in una adoratione, in una p. 60. dignitate *in aeternum. Verumtamen, summatim, cum circumcisus est secundum legem gentis suae, et cum proficiebat in statura sua et sapientia sua et gratia secundum verbum Lucae evangelistae [2], imo et cum esurivit, et cum fatigatus est, et cum iustificatus est in spiritu [3], et cum passus est, et cum crucifixus est, et cum adimplevit omnem oboedientiam usque ad mortem, et cum mortuus est et Deus, qui in eo est, eum suscitavit, divinitas, quae in eo est, non passa est, sed eum perficiebat passionibus eius. Et quidem exaltatus est sublimiter, et venturus est cum gloria sua magna iudicare mortuos et vivos in hac unione, in una virtute et potestate cum Deo Verbo qui in eo est. In omnibus his mutationibus, quas tulit humanitas eius secundum naturam suam, ut dixi, divinitas, quae in eo est, nullo modo passa est — divinitas enim impassibilis est —, nec mutata est, nec alienata ab assentia sua, nec unio illa adoranda soluta est, nec divinitas eius ab ipso discessit, id est, Deus non discessit a templo suo unito in aeternum, sed ipsa divinitas, quae in eo est, humanitatem eius unitam gradatim perficiebat in omnibus rebus sublimibus. Et ita, servatis absque confusione proprietatibus duarum naturarum uniter in hypostasibus earum, in una adhaesione divinitatis et humanitatis Christi, in una persona unita filiationis, haec oeconomia

[1] I. e. naturae cum suis proprietatibus. — [2] Luc., II, 40. — [3] I *Tim.*, III, 16.

adoranda perfecta est. Et Christus passus est in natura sua humana naturaliter, sed Christus non passus est in natura sua divina naturaliter — haec enim impassibilis est; — sed ipse homo Domini nostri, absque Deo qui in eo est, pro omnibus mortem gustavit [1]; et templum eius solutum est, quemadmodum Deus, qui in eo est, dixit: « Solvite templum hoc », in quo habito per unionem, « et in tribus diebus ego excitabo illud [2] ». Solutio compositi hypostatici *huius* hominis, *solutio scilicet* animae a corpore in morte per tres dies, ad humanitatem Christi pertinet; virtus *autem, quae suscitavit templum eius p. 61. a mortuis et sine corruptione illud servavit, et ad immortalitatem et immutabilitatem passionibus illud perfecit, ad divinitatem Christi pertinet: « Non derelicta est anima eius in inferno, nec corpus eius vidit corruptionem [3] ».

Et conveniens fuit ut ille, per quem omnia sunt et propter quem omnia, qui est Deus Verbum, passionibus perficeret caput vitae hominum, quod est templum ipsius rationale, id est, formam servi, hominem Iesum, quem assumpsit ad personam suam ut in eo iunctim revelaretur, et iste esset in omnibus praestantibus [4]. Et quamvis homo Domini nostri Filius esset ab utero in una unitate filiationis cum Deo Verbo, qui eum sumpsit in una dignitate in aeternum, « ex timore et passionibus quas tulit didicit oboedientiam [5] », et quam proficua sit iis qui eam adimplent. Et ita per hanc oboedientiam usque ad mortem perfectus est in omnibus praestantibus, in immortalitate, in immutabilitate, in impassibilitate, et factus est sublimiter in ordinem divinitatis, quae in eo est, per unitatem filiationis quam ab utero habuit. Nec adhuc notum erat in qua sublimitate esset secundum honorem propter Deum Verbum qui in eo habitat unitive in aeternum: « Cognitus est Filius Dei per virtutem et Spiritum sanctum qui a mortuis surrexit Iesus Christus Dominus noster, *ait apostolus* [6], ut nos doceret unum esse Filium in una persona unius Domini Iesu Christi ab unione et deinceps et in aeternum; qui est mortuus in humanitate sua secundum naturam suam mortalem, et surrexit virtute divinitatis quae in ea est, quae est immortalis naturaliter, id est,

[1] Cf. *Hebr.*, II, 9. — [2] Ioh., II, 19. — [3] Cf. *Act.*, II, 31. — [4] Cf. *Hebr.*, II, 10. — [5] Cfr. *Hebr.*, V, 8. — [6] *Rom.*, I, 4.

Deus Verbum suscitavit humanitatem suam unitam, quae est templum ipsius, sicut dixit: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus *ego excitabo illud [1] ». Et unus est Christus in una persona filiationis divinitatis et humanitatis suae: « Iesus Christus, heri et hodie; ipse et in aeternum [2] ». Illud: « Heri et hodie ». humanitatis Christi est; illud: « In aeternum », divinitatis Christi in una adhaesione filiationis, in una persona in aeternum. Et: « Ex quibus visus est Christus [3] »: en persona unionis quae ab utero facta est: « secundum carnem », ecce hoc ad naturam humanam Christi pertinet; « qui est Deus super omnia », ecce hoc est divinitatis Christi. Et unus est Christus in utraque: et unus est Filius in utraque, non in eadem, propter unionem, et sine separatione, ab annuntiatione Gabrielis angeli et in aeternum.

p. 62.

Ab unione quidem et deinceps, divinitas eius non est absque humanitate eius, nec humanitas eius absque divinitate eius, cum tamen non sunt simul coniunctae in una persona Christi, Filii Dei, nisi servatis naturis suis in hypostasibus suis, sine confusione, in una adhaesione, in aeternum; nam *Deus Verbum* sublimia sua *homini* suo dedit, et non assumpsit humilia eius. Et quemadmodum ignis, ferro unitus, ei confert omnia sua, calorem et lucem, dum ignis nihil de nigrore ferri sumit, sed illud purificat et splendere facit, sic, propter unionem Dei Verbi cum humanitate sua, proprietates naturae eius non mutatae sunt, nec ipse passus est in passionibus eius, nec participavit in passionibus eius, sed perfecit humanitatem suam per passionem dum ipse non passus est. Neque periit natura humanitatis eius, sed ipse per unionem ei dedit omnia sua, excepta natura sua, *i. e.* gloriam, virtutem, dominationem, potestatem, honorem, nomen filiationis, quia assumpsit eum ad personam suam ut in eo revelaretur et omnia, quae ad oeconomiam spectant, per virtutes in eo faceret, non vero ut pateretur in passionibus eius; absit! Namque ille *homo*, absque Deo, pro omnibus mortem gustavit [4]. Ferrum enim, sine igne, non calefit, nec calefacit, nec splendet, neque *operatio ignis et virtus eius ignea videntur nisi in ferro aut in alia materia. Itaque in hac unione ignis et ferri, ferrum vides igne plenum. Quod si velis

p. 63.

[1] Ioh., II, 19. — [2] *Hebr.*, XIII, 8. — [3] *Rom.*, IX, 5. — [4] *Hebr.*, II, 9.

videre ignem et cognoscere virtutem et operationem quibus pollet, ecce *ea cognosces* in ferro, in una operatione, in una persona (p a r ṣ ō p ā) laminae et ignis.

Humiliatio autem, quae dicitur de Deo Verbo, in eo est, quod ipse se demisit dum esset sublimis in omnibus suis, et induit naturam nostram infirmam, et eam fecit secum unum Filium in una dignitate, non vero quod participavit in passionibus eius; absit! Humiliatio enim et oboedientia usque ad mortem ad humanitatem unitam Domini nostri pertinent. Et propter hanc oboedientiam Deus, qui in eo est, valde exaltavit illum; quae exaltatio, quam naturaliter non habebat, sed ab utero possedit, ex actionibus cognita est. Et ipse homo Domini nostri est, qui factus est oboediens usque ad mortem; nam Deus Verbum non indiget exaltatione, quia omnia sublimia sua ab aeterno per essentiam suam naturaliter possidet sicut Pater et sicut Spiritus sanctus. Ergo ipse non mortuus est, quia ipsius non erat per oboedientiam solvere inoboedientiam, sed humanitatis eius unitae, quae solvit debita generis illius, quem ipse fecit secum unum Filium ab utero cuique omnia subiecit. Et beatus Paulus, hanc exaltationem et simul prophetiam adimpletam miratus, dicit [1]: « Quid est homo quod memor eius fuisti, et filius hominis quoniam visitasti eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opus manuum tuarum, et omnia subiecisti sub pedibus eius ». Dicens autem: « Omnia ei subiecit », nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem non videmus omnia subiecta ei. Eum autem, qui paulo minus quam *angeli mino- p. 64.
ratus est, videmus esse Iesum propter passionem mortis suae gloria et honore coronatum; ille enim, absque Deo, pro omnibus mortem gustavit.

Nunc, quoad illa, dicant nobis Theopaschitae, quaenam sit lux hac clarior ad ostendendum naturas diversas earumque proprietates in hac unione? unam quae memor fuit, et alteram quae memorata est; unam quae visitavit, et alteram quae visitata est: unam quae minuit et alteram quae minorata est; unam quae posuit gloriam et honorem in ea quae minorata est et minuta ab angelis propter passionem mortis suae, et

[1] *Hebr.*, II, 6-9.

alteram quae accepit gloriam propter oboedientiam suam usque ad mortem. Ecce evidens est illum, qui omnia ei subiecit, alium esse in natura sua ab eo cui omnia subiecta sunt. Et quis est qui, absque Deo, pro omnibus mortem gustavit, nisi homo Domini nostri qui est templum eius unitum, quod ipse post tres dies suscitavit? Sed audiamus beatum Paulum: « Per hominem quidem mors, et per hominem vivificatio mortuorum [1] ». Quaenam affirmatio hac lucidior, quod servantur in hac unione naturae in proprietatibus hypostaseon suarum sine confusione, in hac una persona Christi, Filii Dei, sicut ignis in rubo et rubus in igne, secundum exemplum a Patribus allatum? Et quemadmodum naturae in suis hypostasibus unitae sunt ad unam personam, unita sunt etiam nomina earum in una appellatione eiusdem unius personae. Nomen quidem Filii ad divinitatem Christi proprie pertinet: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati [2] »; et: « Unigenitus Filius qui est in sinu Patris [3] »; per unionem vero *hoc nomen* pertinet etiam ad humanitatem Christi, nam de eo dictum est: « Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium [4] »; et: « Filius meus es tu et ego hodie genui te [5] »; et: « Filius Altissimi vocabitur [6] »; et: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui [7] »;
p. 65. et: *« Misit ad eos Filium suum dilectum, et eiecerunt eum extra vineam et occiderunt eum [8] »; et: « Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum [9] ». Ita nomen filiationis, quod possidet homo Domini nostri, ad eum pertinet non separatim; sed per unionem cum Filio aeterno, Filio Altissimi, unus est Filius Altissimi, quemadmodum dictum est ad matrem eius: « Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius [10] ». Est quidem filius David in natura sua humana, quia ex semine eius est per successionem benedictionis; unione autem cum Filio Altissimi est unus Filius Altissimi in aeternum. *Deus Verbum* enim eum ad personam suam sumpsit unitive ut in eo revelaretur: « Revelatus est in carne [11] ». Et ipse est forma Dei invisibilis, non quidem cum distantia, sed dum *Deus Verbum* in eo habitat unitive,

[1] I *Cor.*, XV, 21. — [2] *Rom.*, VIII, 3. — [3] IOH., I, 18. — [4] II *Reg.*, VII, 14. — [5] *Ps.* II, 7. — [6] LUC., I, 32. — [7] MATTH., III, 17. — [8] MATTH., XXI, 37-39. — [9] *Rom.*, VIII, 32. — [10] LUC., I, 32. — [11] I *Tim.*, III, 16.

in una adhaesione, infinitus in finito, Deus in homine suo, et perfecit in eo totam oeconomiam, in una adhaesione, et potestate, et virtute, et dominatione, in una dignitate et adoratione in aeternum. Et ut mortales possent ad eum accedere, hac de causa splendorem suum ineffabilem et secretum invisibile divinitatis suae celavit velo quod est caro eius. Et quemadmodum ipse in monte coram discipulis suis secretum manifestationis suae splendentis ostendit, et vultus humanitatis eius per eum splenduit sicut sol, sic et in novissima sua manifestatione, quae erit magna et gloriosa, videbitur in hac unione cum omni gloria sua ineffabili: « Sol obscurabitur et luna non ostendet lumen suum; tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute et gloria magna [1] ». Rursum, quid fiet hoc tempore novissimi eius adventus? « Et omnes, qui dormiunt in pulvere, audient vocem eius et resurgent [2] », et in hac *unione « iudicabit omnem orbem terrarum in aequitate [3] »; p. 66 et sicut dixit beatus Paulus in Actibus: « Statuit diem quo iudicaturus est universam terram cum aequitate, per virum quem separavit, et convertit unumquemque hominem ad fidem eius, excitando ipsum a mortuis [4] »: ut ostenderet unam esse potestatem et virtutem et dominationem et iudicium divinitatis et humanitatis, in una persona Christi, Filii Dei, *dicit*: « Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut retribuatur unicuique nostrum id quod fecerit, sive bonum, sive malum [5] ».

Unio igitur non est cum distantia naturarum; neque sicut Paulus gerebat personam Christi secundum distantiam, ita et hic. Non enim quemadmodum Paulus sumpserat personam Christi, sic Christus personam Pauli sumpserat, ita ut nomen esset commune: Paulus Christus, et Christus Paulus; sed hic naturae mutuam personam sumunt, in una unione, in una adhaesione, in uno nomine communi, quod sibi mutuo communicant in ipsa unione: « Filius hominis qui est in caelo [6] »; nomen quidem 'Filius hominis' ad naturam eius humanam pertinet, ob unionem tamen pertinet etiam ad Deum Verbum assumptive. Simili modo et nomen 'Iesus' et nomen 'Christus'. Ita etiam nomen 'Filius' et nomen 'Dominus gloriae', etsi ad divini-

[1] Matth., xxiv, 29-30. — [2] Cf. Dan., xii, 2. — [3] *Ps.* xcv, 13. — [4] *Act.*, xvii, 31. — [5] II *Cor.*, v, 10. — [6] Ioh., iii, 13.

tatem Christi proprie pertinent, ob unionem tamen personalem pertinent ad humanitatem eius assumptive: « Si enim illam cognovissent, Dominum gloriae non crucifixissent [1] »; et: « Si Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum [2] ». At crucifixus est et mortuus est in humanitate sua, non in divinitate sua, et est Dominus gloriae et Filius Dei propter unionem et adhaesionem quae ipsi fuerunt cum Filio aeterno et Domino gloriae qui est Deus Verbum. Quod proprie ad *Verbum* pertinet, pertinet ad *hominem Verbi* assumptive, propter p. 67. unionem: « Dominum eum et Christum fecit Deus hunc *Iesum quem vos crucifixistis [3] ». Non enim Deus Verbum factus est Dominus, neque ipse unctus est ut esset Christus secundum dignitatem filiationis cum Filio, sed humanitas eius uncta est ut esset Filius cum eo in una persona.

Et adducamus exemplum in similitudinem, quamvis nostra et ea, quae apud nos sunt, his inferiora sint. Quemadmodum is homo appellatur imago Dei propter unionem quam possidet, — etsi hic unio sit hypostatica et naturalis et passibilis et finita et necessaria, illic vero unio sit personalis et voluntaria; non enim divinitas exinde incepit, sicut anima quae in corpore creata est et est pars hominis; exemplum enim est hoc; — et quemadmodum in hoc exemplo, propter unitatem unius hypostasis dicimus quod homo est sapiens et intellegens et rationalis, et rursus quod manducat et bibit et moritur, dum scimus quae sint animae: vita et ratio, et quae sint corporis: fames et sitis et mors, verumtamen haec et illa videntur in una hypostasi, *id est*, in homine; sic et in hac unione adoranda et ineffabili. Christus enim est unus, et unus est Filius in una persona; et dicimus quod Christus visibilis est et invisibilis, quod Filius crucifixus est et passus est in natura sua humana, et quod in divinitate sua non patitur nec moritur: « Ego sum resurrectio et vita [4] », et quod Filius cognoscitur et percipitur, et quod Filius non cognoscitur nec percipitur: « Me scitis et unde sim scitis [5] », et: « Neque me scitis neque Patrem meum [6] », et: « Ego vado et venio [7] », et: « Vobiscum sum omnibus die-

[1] I *Cor.*, II, 8. — [2] *Rom.*, VIII, 32. — [3] *Act.*, II, 36. — [4] IOH., XI, 25. — [5] IOH., VII, 28. — [6] IOH., VIII, 19. — [7] IOH., XIV, 28.

bus [1] » : dum cognoscimus Filium in natura sua divina esse impassibilem et immortalem, in natura sua autem humana passibilem et mortalem, et ipsum, non autem divinitatem quae suscitavit illum, a mortuis surrexisse : « Hunc Iesum quem suscitavit *Deus [2] ». Et quemadmodum nomen proprium Filii p. 68. ad divinitatem Christi pertinet, sic et nomen proprium Christi ad humanitatem Filii. Haec enim a Spiritu sancto uncta est ab utero, initio formationis suae, ut esset cum Deo Verbo unus Filius in una adhaesione, in una virtute et potestate et adoratione et dominatione in aeternum, etsi omnia nondum subiecta sint ei, ut supra ostensum est ex verbis Apostoli.

Itaque ab unione et deinceps, Christus est Filius, et Filius est Christus, in una persona ; et hoc modo in una persona agnoscuntur duae naturae duarum hypostaseon cum proprietatibus suis. Ab unione et deinceps, Deus Verbum non est Filius absque humanitate sua, neque homo eius, Iesus a Nazareth, est Christus absque divinitate sua, sicut et beatus Paulus idem docet et declarat et exponit. Etenim in epistula ad Hebraeos primum ponit nomen Filii ex persona unionis, haec dicens : « In diebus novissimis locutus est nobiscum in Filio suo », et deinde pergit ordinatim narrare de eadem persona filiationis, ea recitans quae ad humanitatem eius pertinent in hac unione personali : « Quem constituit heredem universorum », et iungens ea, quae sunt divinitatis eius, eidem personae et tanquam de uno sine interruptione ait : « Per quem fecit saecula, et ipse est splendor gloriae eius et figura substantiae eius et tenet omnia virtute verbi sui [3] ». Et ita, in toto ordine epistulae suae, coniungit distincte et distinguit coniunctim quae sunt divinitatis eius et quae sunt humanitatis eius, et exponit proprietates duarum naturarum sine confusione, transiens de hac ad illam et de illa ad hanc *naturam* secundum unionem, et tanquam de uno loquitur usque ad finem epistulae et concludit : « Iesus Christus heri et hodie, ipse et in aeternum [4] ». Inceperat quidem ponendo in initio epistulae nomen Filii *ex persona unionis, et absolvit finem eius nomine p. 69. Iesu Christi ex eadem persona unionis. Exposuit enim duas naturas, et docuit et confirmavit hanc unionem adorandam sine

[1] MATTH., XXVIII, 20. — [2] *Act.*, II, 32. — [3] *Hebr.*, I, 2-3. — [4] *Hebr.*, XIII, 8.

confusione in una persona unius Filii, Christi, in aeternum. Et idem docuit et exposuit etiam in epistula ad Philippenses [1]. In ea enim, de humiliatione *Christi* disserens, primo ponit personam unionis, haec dicens: « Hoc sentite in vobis quod et Iesus Christus », et deinde subiungit ea quae sunt divinitatis eius in persona unionis: « Qui, cum esset forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Dei; sed semetipsum exinanivit, et formam servi sumpsit, et factus est in similitudinem hominum, et habitu inventus est ut homo »; et postea addit quae sunt humanitatis eius in eadem persona, sine separatione, et tanquam de uno, non abrumpens sermonem: « Humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem crucis », etc.; et absolvit sermonem secundum eamdem unionem: « Et omnis lingua confiteatur quod Dominus est Iesus Christus, ad gloriam Dei Patris sui [2] ». In epistula ad Hebraeos, cum primum ex persona unionis nomen Filii posuisset quod ad divinitatem Christi proprie pertinet, et per unionem etiam ad humanitatem eius, subiunxit ea quae sunt *proprie* humanitatis: « Quem constituit heredem universorum ». Item in epistula ad Philippenses, cum prius ex persona unionis posuisset nomen Iesu Christi quod est nomen proprium humanitatis eius, quia haec uncta est a Spiritu sancto ut esset cum Deo Verbo per unionem unus Filius Altissimi, addidit ea quae sunt divinitatis eius in unione: « Qui, cum esset forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se aequalem
p. 70. Dei; sed semetipsum exinanivit et formam servi *sumpsit ». Assumptor et assumptus, forma Dei et forma servi, sunt unus Filius, unus Dominus Iesus Christus.

Ab unione igitur et deinceps, ex eadem una persona divinitatis et humanitatis unius Domini Iesu Christi Scripturae divinae dicunt ea quae sunt divinitatis eius et ea quae sunt humanitatis eius. Ea, quae sunt divinitatis eius, dicunt ex persona unionis, cum *Scriptura* exponit proprietates hypostasis eius divinae, v. g.: « Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia [3] », — non enim per naturam eius humanam omnia creata sunt et constituta, nam ecce in novissimis temporibus facta est et assumpta; — et: « Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum [4] », quamvis sub fine addiderit ea quae

[1] *Philipp.*, II, 5-8. — [2] *Philipp.*, II, 11. — [3] I *Cor.*, VIII, 6. — [4] *Gal.*, I, 1.

sunt humanitatis eius. Ita, ex persona unionis loquuntur cum exponunt proprietates hypostasis eius humanae in unione, v. g.: « Unus est Deus, et unus est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus [1] »; et: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Dominus Christus in civitate David [2] »; et hoc aliud quod dictum est: « Ita propter oboedientiam unius hominis Iesu Christi multi fient iusti [3] ». Ita etiam quod spectat ad Filium. Ubi enim dicit: « Ego sum in Patre meo et Pater meus in me [4] », haec est indicatio quod hypostasis eius divina aequalis est Patri secundum naturam suam. Et idem est illud: « Pater meus usque modo operatur et etiam ego operor [5] ». Rursus *Scriptura* ea, quae sunt humanitatis eius, *declarat*, v. g.: « Pater diligit Filium et omnia dedit in manibus eius [6] »; et: « Dedisti ei potestatem super omnia [7] »; et: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui [8] »; et: « Si Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum [9] », et cetera huiusmodi, quae in hac una persona filiationis denotant quae sunt divinitatis Filii et quae sunt humanitatis Filii, servatis duabus naturis et duabus hypostasibus sine confusione in una persona *Christi, Filii Dei. Et quemadmodum in Trinitate ae- p. 71
terna hypostases servantur in proprietatibus suis, et coniunguntur in una natura inconfusibiliter, infinite, inseparabiliter, Pater, scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus, in una virtute et voluntate et dominatione et potestate, et tota natura divina agnoscitur in singulis hypostasibus; ita duae naturae Christi servantur in una persona Filii Dei cum proprietate hypostaseon divinitatis et humanitatis eius in una persona; et unaquaeque hypostasis agnoscitur in persona filiationis, non separatim, sed in divinitate fixo modo, in humanitate vero personaliter secundum unionem, quemadmodum etiam nomen Filii hominis fixe et naturaliter ad naturam eius humanam pertinet, assumptive autem et personaliter, unitive ad divinitatem eius. Et in hac una persona unius Domini Iesu Christi agnoscuntur proprietates duarum naturarum et duarum hypostaseon divinitatis et humanitatis Christi. Et quemadmodum natura divina agnoscitur in proprietate trium hypostaseon, Patris et

[1] I *Tim.*, II, 5. — [2] Luc., II, 11. — [3] *Rom.*, V, 19. — [4] Ioh., XIV, 11. — [5] Ioh., V, 17. — [6] Ioh., III, 35. — [7] Ioh., XVII, 2. — [8] Matth., III, 17. — [9] *Rom.*, VIII, 32.

Filii et Spiritus sancti, sic in hac una persona unius Domini Iesu Christi agnoscuntur duae hypostases, hypostasis Dei et hypostasis hominis, forma Dei et forma servi, unus Filius in una unione, in una potestate et adoratione et dominatione cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito. Ipsi et eius Patri et Spiritui sit gloria et gratiarum actio et adoratio et exaltatio, nunc et semper et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus secundus.

p. 72. *CAPITA TRACTATUS TERTII.

Caput nonum: Quomodo debeamus intellegere hanc unionem adorandam, secundum mentem Librorum sanctorum et traditionem omnium Patrum sanctorum qui Apostolorum vestigiis institerunt?

Caput decimum: Oportet ostendamus exemplis perspicuis quandonam facta fuerit haec unio divinitatis et humanitatis Christi ad unam personam oeconomiae.

Caput undecimum: Cur, cum Deus ubique sit infinite, dicamus eum habitare in homine suo unitive et peculiariter?

Caput nonum: Quomodo debeamus intellegere hanc unionem adorandam, secundum mentem Librorum sanctorum et traditionem omnium Patrum sanctorum et orthodoxorum qui Apostolorum vestigiis institerunt?

Plurimae quidem haereses diversae, velut zizania amara, in medio Ecclesiae Christi exortae sunt per homines iniquos qui voluntate sua instrumentum Satanae facti sunt, qui errantes deceperunt et corruperunt multos, eosque labi fecerunt et alienaverunt a veritate verae confessionis, non solum quia miseri divinitatem blasphemaverunt, sed etiam quia multi hanc oeconomiam adorandam, quae facta est ad salutem omnium per Dominum nostrum Iesum Christum, ad interitum suum conviciis affecerunt. Sunt enim qui in insania sua sceleste dixerint unionem naturalem et hypostaticam necessario et coacte factam esse, sicut corpus et anima sunt una hypostasis, *id est*, homo; et corpus sumptum esse, animam autem sumptam non fuisse,

sed ipsum Deum coniunctum fuisse corpori hypostatice, et in eo fuisse loco animae, et in eo fecisse voluntate Patris omnia quae ad oeconomiam spectant. Hanc quidem insaniam *olim p. 73.
ut primos fructus habuit Satanas per Arium, insanum aegyptium, cui adhaesit Eunomius, serpens acerbus. Hi etiam divinitatem Filii alienant a Patre, et *dicunt:* « *Filius* est creatus et factus et dissimilis *Patri;* et Deus eum depressit et coniunxit corpori sine anima ut esset cum eo una natura et una hypostasis; et Deus, sicut per eum haud incorporatum tanquam per instrumentum omnia creavit, ita per eum incorporatum omnia renovavit; et Christus est una hypostasis; qui passus est et mortuus, et quem suscitavit Deus, qui eum in divinitate eius ex nihilo creavit et etiam formavit in humanitate eius hypostatice; et una est natura et hypostasis Christi; et *Christus* non dicitur natura et natura, [nec hypostasis] et hypostasis ». Sed isti interempti sunt a trecentis decem et octo *Patribus* [1] per gladios acutos spiritu, et ossa eorum ad os inferni dispersa sunt. Et illi Patres sancti ostenderunt et explicaverunt quod Filius non est creatura, sed Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri et Spiritui sancto, et quod Deus Verbum sumpsit hominem completum, anima rationali et intellegenti animatum, quem fecit secum unum Filium in una unitate unius Domini Iesu Christi; quod ex Scripturis demonstraverunt, iuxta illud: « Non derelicta est anima eius in inferno [2] »; et: « Tristis est anima mea [3] »; et: « Animam meam in manus tuas commendo [4] »; quae proprietates ad animam, non autem ad naturam divinam, pertinent.

Rursus ex stirpe amara illius ortus est Apollinaris laodicensis qui, per errorem astutum quem tenebat, plus decepit quam antecessores sui multi, et, cum occurrit ei occasio perturbationis arianae, doctrinam amaram per impietates et blasphemias permultas nomine orthodoxiae seminavit, et tanquam latro [5] callidus eamdem doctrinam quam sectatores *Arii, p. 74.
mutatis tamen verbis, sceleste propagavit. Etenim sententia eius eadem est, scilicet: « *Verbum* corpus cum anima sumpsit; mentem vero non sumpsit, sed ipsum Verbum fuit in ea loco

[1] Concilium primum Nicaenum (anno 325). — [2] *Act.*, II, 31. — [3] MATTH., XXVI, 38. — [4] LUC., XXIII, 46. — [5] A: Satanas.

mentis per unionem naturalem et hypostaticam, et passum est in passionibus corporis ». Omnia, quae fuerunt et effecta sunt in hac oeconomia, Deo Verbo hypostatice attribuit, et proprietates corporis subducit. Nunc loquitur de unione secundum mixtionem et admixtionem; nunc dicit *Verbum* corpus de caelo sibi deduxisse: rursus impie dicit quod homines, post resurrectionem, manducabunt et bibent et nubent, et alia impia commenta. Sed etiam iste detectus est esse lupus corrumpens, vestimento ovis indutus, et pessime eiectus est a pastoribus vigilantibus sui temporis. *Hi docuerunt* quod Deus Verbum corpus et animam rationalem, sicut nostra, sumpsit, id est, hominem perfectum et similem nobis in omnibus praeter peccatum; et quod, sicut per hominem completum, Adam primum, fuit mors, ita per hominem completum, Adam secundum unitum, fiet vivificatio mortuorum [1]. Et ipse Dominus noster dixit: « Ecce anima mea turbata est [2] »; et: « Tristis est anima mea [3] »; et Evangelista ait: « Proficiebat statura sua et replebatur sapientia [4] ». Quomodo anima, quae caret mente rationali, accepisset sapientiam, et afflicta et turbata esset et tristis?

Et notum est sapientibus unionem secundum mixtionem et admixtionem confusionem facere quia id, quod miscetur, proprietatem suam primam amittit, et aliam virtutem aliumque saporem acquirit; et mixtionem ex duabus partibus humidis et liquidis, et naturaliter finitis fieri, sicut ex vino et aqua; quod est alienum a Deo infinito, qui est lux infinita de luce infinita, et impassibilis, et immutabilis, et est sicuti est. Rursus,
p. 75. quod in resurrectione mortuorum, non manducabunt *nec bibent nec ducent uxores, secundum impietatem istius, dictum est atque definitum a Veritate veracissima [5]. Et quod corpus *hominis Christi* de Maria sumptum est, et quod ipse ex semine domus David genus suum deduxit et per Spiritum sanctum formatus est, prophetiae testantur et etiam veritas rerum absque dubio definit. Sed et isti eiecti sunt a pastoribus vigilantibus et fortibus per fundas spiritales et lapides adamantinos quae omnem errorem prosternunt, et pessime perierunt.

[1] Cf. I *Cor.*, XV, 21. — [2] IOH., XII, 27. — [3] MATTH., XXVI, 38. — [4] LUC., II, 40. — [5] Cf. MATTH., XXII, 30.

Sed ex stirpe Apollinaris, serpentis multiplicis, egressa est aspis multa capita habens crudelis et spirans mortem, quae voravit et perdidit multos, et perlustrabat et circumibat *quaerens* quem devoraret [1]. Haec autem est Aegyptius, cuius vita maledicta est, Cyrillus, impius impiorum, pater multitudinis haereseon, filius Arii, nothus Macedonii, discipulus Apollinaris, heres Manetis, et coheres Satanae a quo in omnibus suis inspirabatur. Hic, in medio gregis Christi enutritus, fuit eis lupus vespertinus, et serpens tortuosus et vipera venenosa quae omnibus capitibus suis mortem semper spirabat et exsufflabat ad perditionem. Nunc enim assumptionem dolose confitetur ad decipiendum, dicens: Dominus noster hominem completum sumpsit; sed, postquam dicit et imaginatur proprietates utriusque naturae servari, super latus suum se convertit et fel evomit, et Deum coniungit cum illo unione naturali et hypostatica, sicut pater suus impius, dicens: Ipse Deus natus est hypostatice secundum carnem, et passus est secundum carnem, et mortem gustavit secundum carnem, dum est vivens et vivificator; et omnes proprietates humanitatis Domini nostri omnino subducit. Nunc eadem docet quae Arius, nunc eadem quae Apollinaris, nunc est germanus manichaeus; et, quasi summatim, est suscitator malorum antiquorum et auctor *aliorum. p. 76.
Etenim ex eo et deinceps ortae sunt in mundo multae haereses Theopaschitarum in plurimis varietatibus quae ex eo natae sunt sicut progenies viperarum et multitudo serpentium crudelium.

Eutyches deceptor modo dicit: Ante unionem duas naturas agnosco, post unionem autem unam naturam unamque hypostasim; modo penitus negat assumptionem capitis generis nostri, et impie dicit Deum Verbum factum esse carnem hypostatice et passum esse et mortuum, et nos per mortem Dei redemptos esse. Sed *ortus est* etiam iste Dioscorus, serpens acerbus, nepos Cyrilli aspidis, cuius sedem et impietatem hereditate accepit. Perierunt isti pessime cum asseclis suis per eum, qui sedem magni Petri tenebat, Leonem mirabilem. Rursus exinde inventus est catulus lupi maledictus qui, eiectus e loco suo a pastoribus vigilantibus et diligentibus regionis suae qui semper

[1] Cf. I Petr., v, 8.

veritatem zelantur, insiliens ingressus est in gregem Mabbugensem, qui est in terra Romanorum, Xenaias [1], a veritate alienus, exossatus. Fecit et iste permultas ruinas et, postquam etiam inde eiectus est a pastoribus vigilantibus, caepit insidiose, tanquam lupus vespertinus, irrepere monasteriis ad homines rudes et simplices et Scripturarum imperitos, impietatem suam celans contumelia in omnes sanctos et calumniis iniquis et multis anathematibus. Et seminavit multa zizania amara quae acceperat a Cyrillo maledicto et ab Eutychete impio. Et in omnibus scriptis suis non solum calumnias suas auxit, sed et per maledictiones graves contra quemcumque impietati ipsius non consentientem magnopere multiplicavit blasphemias suas magis quam socii sui permultis modis. Etenim impie dicit
p. 77. haec non *dicenda esse signa et miracula quae fecit Dominus noster: quod aquam in vinum mutavit, quod multiplicavit panem, quod sanavit aegros, quod eiecit daemonia, quod suscitavit mortuos; sed haec esse miracula et signa quae fecit: cum non esset homo, factus est homo; cum non esset finitus, conclusus est in ventre Virginis, et natus est ex ea hypostatice, et suxit lac, et involutus est pannis; cum non esset passibilis nec mortalis, mortuus est et sepultus est et resurrexit; et *dicit* alias impietates his peiores. Sed etiam iste, cuius vita maledicta est, eiectus est de regione in regionem et de loco in locum, pastoribus socios suos monentibus et eis per scripta sua clamantibus: Cavete a lupo insidioso et corrumpente; et, quocumque ibat, aliquid congruum ei parabant, *scilicet* anathemata valida ad interitum vitae eius.

Rursus, paulo post orti sunt duces mali, catuli pardorum maculosi, se invicem strangulantes, filii Cyrilli qui impietatibus suis praestans erat, unus Lulianus [2], Severus [3] alter, filius eiusdem patris, ex duabus concubinis. Lulianus quidem dicebat quod Dominus noster sumpsit non hoc corpus mortale generis Adam, quod est passibile et mortale, sed illud quod Adam habuit antequam peccavit cum esset immortalis et impassibilis. Sed stultus ille ostendere non potuit unde sit hoc corpus, nec ubi positum fuerit et deinde assumptum, nec utrum Adam creatus

[1] Philoxenus Mabbugensis († 523). — [2] Iulianus Halicarnasseus. — [3] Patriarcha Antiochiae (512-518).

fuerit immortalis: nam ecce corpus eius testatur eum mortuum esse, quia creatus erat mortalis, et anima eius non mortua est, quia immortalis est naturaliter. Ecce Scripturae definiunt quod genus Domini nostri descendit ex semine David et Abraham et ex Mariae natura quae de genere eorum sumpta est. Et *gens eorum est ex Adam primo sicut computant Evangelistae, p. 78. et praesertim beatus Lucas qui in Adam fulcit genealogiam Iosephi, qui est cognatus beatae Mariae. Et ambo sunt ex semine domus David, quia ad eam dictum est de puero ex ea *nasciluro:* « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius [1] », etsi ex ea sine concubitu natus est. Et quod Ioseph ex tribu David est, *notum est* iuxta cautiones legales ne genealogiae confunderentur; et Ioseph est etiam filius David, quemadmodum ad eum dictum est ab angelo in somnio: « Ioseph, fili David [2] », et quemadmodum Zacharias et Elisabeth, parentes Iohannis, sunt ex eadem tribu sacerdotali. Itaque errorem valide amplexus est stultus iste qui blasphemavit et impie dixit genus corporale Domini nostri non esse ex Adam primo, ex illo *Adam* peccatore et mortali. Ecce enim is est qui maledictum, quod genus ipsius debebat, solvit, sicut et Apostolus testatur: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati ut peccatum damnaret in carne eius [3] », et: « Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitati nostrae, tentatum autem per omnia, sicut nos, absque peccato [4] ». Ecce peccatum non est naturale, sed voluntarium; et ideo sunt iusti multi et peccatores multi. Itaque *Lulianus* redargutus est cum discipulis suis, specie iustitiae, luporum instar, indutis, nam non est aliud corpus recenter a Deo creatum nisi illud ex domo Adam, quia Christus secundum carnem est ex semine et progenie eius, iuxta testimonia Evangelistarum.

Sed et Severus impius, ex eodem ovili, non obstante quod stultum istum argumentis validis redarguit, *dicens* quod Deus Verbum corpus mortale et passibile domus Adam sumpsit, non tamen se avertit a sententia filii Nabat, Cyrilli, *adoratoris p. 79. simulacrorum et sacrificatoris daemoniorum, qui peccavit et peccare fecit Israel Dei, et multos sacerdotes Dei, sicut filius Cis, interfecit; sed in viis Cyrilli, patris sui, ambulavit, nec

[1] Luc., i, 32. — [2] Matth., i, 20. — [3] *Rom.*, viii, 3. — [4] *Hebr.*, iv, 15.

declinavit ab eo quod divinitatem passioni obnoxiam per unionem naturalem et hypostaticam faceret. Sicut aliquod malum, quod evertit socium suum et in loco eius stat, et sicut scorpio qui vulnerat serpentem eumque occidit dum ipse mortifer est, ita Severus turpis et immundus fecit. Postquam confitetur naturam humanam completam ex domo Adam, et naturam divinam, unam de hypostasibus Trinitatis, et humanitatem non destructam, rursus, e contrario, sicut oculi caerulei qui unum quid vident, ita ipse variis modis blasphemat sicut Cyrillus, pater suus in impietate, dicens: Unio facta est naturaliter et hypostatice, sicut unio animae et corporis quae necessario et coacte secundum legem naturalem coniuncte patiuntur. Ecce igitur adversus impietatem et blasphemiam huius dicendum est quod, etsi divinitas et humanitas in naturis suis servatae sint, sicut anima et corpus in unione naturali et hypostatica, et Deus Verbum voluntarie inhumanatus sit, et, iuxta illius impietatem, passus sit et mortuus et sepultus, veruntamen voluntarie inhumanatus est in homine per unionem naturalem, sicut dicunt Theopaschitae. Sed ecce magis quam anima in corpore coarctatur, vos Deum per unionem naturalem coarctastis: nam anima non moritur, nec dissipatur, nec amittit vitam suam iuxta verbum Domini; vos autem Deum hypostatice occiditis morte sicut corpus. Sed notum est sapientibus ne animam quidem Domini nostri mortuam esse; et quomodo mortua est divinitas eius? Ergo duae partes Dei mortuae sunt; et una, quae est anima, non mortua est, quia *Christus de ea*, tanquam de deposito haud perituro, ad Patrem suum dixit:
p. 80. « Animam meam in manus tuas commendo [1] »; *et: « Non derelicta est anima eius in inferno [2] ». Si enim Deus mortuus est, secundum blasphemiam impiorum horum, etsi voluntarie mortuus fuerit sicut desipiunt, tamen natura eius, quae est mortalis, omnino mortua est, quocumque modo moriatur, sive voluntate sua, sive secundum carnem; nam quodcumque non est mortale naturaliter, nullo modo moritur, sicut anima non moritur cum moritur corpus. Et si Filius in divinitate sua potest mori, etiam Pater et Spiritus sanctus mortales sunt, et fieri potest ut ipsi modo quocumque moriantur.

[1] Luc., xxiii, 46. — [2] *Act.*, ii, 31.

Rursus, *hi dicunt:* « Divinitas Filii absque corpore non est hypostasis completa, sicut Pater; neque humanitas eius absque divinitate eius possidet hypostasim completam, sicut ceteri homines; neque humanitas eius habet voluntatem liberam: etenim voluntas eius necessario coniuncta est cum Deo per unionem naturalem ». Sed *tunc* ubi est illud: « Non sicut ego volo, sed sicut tu? [1] » Voluntas enim Trinitatis una est; corpus autem tanquam ex natura sua amat vitam et mori non vult. Et si humanitas non habet voluntatem liberam, ubi est illud: « Factus est oboediens [2] », et illud: « Iustificatus est [3] », si ipse non habet liberum arbitrium quo voluntati divinae oboediat et voluntarie per virtutes iustificetur? Et quomodo finitum et infinitum, creator et creatura, possent esse una natura et una hypostasis et simul pati sicut anima et corpus? Ecce quidem notum est corpus languere et debilitari et etiam torqueri propter curam et meditationem animae, et animam languere et cogitationes eius vexari cum corpus aegrotat, eamque fame et morbo corporis affligi et tristem fieri. Sed absit ut talis sit illa unio adoranda! Haec blasphemia sit super caput Theopaschitarum! Non enim quemadmodum corpus per animam vivit ob unionem naturalem *et ipsa particeps est p. 81. passionum eius, sic humanitas per divinitatem vivit et movetur naturaliter, et divinitas particeps est passionum eius secundum unionem naturalem et hypostaticam. Namque unio non facta est ut *divinitas* vitam humanitati daret — ecce haec per animam vivit; — neque unio facta est ad complendam naturam et hypostasim, sed ad adimplendam oeconomiam et ad revelationem invisibilitatis: « Deum nemo vidit unquam » [4]. *Et dicunt:* « Et etiam haec natura et hypostasis, quae ex Deo et homine per unionem hypostaticam et coacte constituta est, una est hypostasis sicut ceterae omnes hypostases ». Dicant nobis: Cum quanam *natura* numerabimus eum in hypostasi eius? Si cum natura divina, additio facta est Trinitati; si cum natura humana, ecce additio facta est hypostasi humanae; sin minus, *Christus* est natura unica et singularis in genere suo, quae non est Deus sicut Pater et Spiritus sanctus, nec homo sicut

[1] MATTH., XXVI, 39. — [2] *Philipp.*, II, 8. — [3] I *Tim.*, III, 16. — [4] IOH., I, 18.

Abraham et David in genere eorum. Sed, o deceptor, non ita forma Dei dicitur formam servi sumpsisse. Si forma Dei, Deus Verbum, est sicut una de hypostasibus Trinitatis, etiam forma servi, *id est*, homo, est sicut una de hypostasibus hominum, etsi est in ordine divinitatis propter unionem et adhaesionem quae ipsi facta est ab utero cum Deo Verbo qui eum assumpsit et fecit secum unum Filium in aeternum.

Adhuc post haec erupit malum malorum, quod omnia vetera mala nequitia sua obscuravit, in quo sunt omnia mala, quodque est consummatio consummationum in impietate, illud nempe quod per Iustinianum imperatorem, tyrannum romanum, invaluit et usque nunc mansit. Ipse quidem est suscitator impietatum antiquarum patrum suorum, quorum sceleribus addidit per blasphemias suas turpes quae in luto volvuntur: *ipse est*
p. 82. heres Saulis, interfectoris *sacerdotum Dei, similitudo Saulis harioli, et magis quam ille peccavit. Ipse etiam veros cives Ecclesiae, qui multis annis defuncti erant in felicitate et orthodoxia apostolica, nequitia sua diabolica, per sacerdotes impios regionis suae fecit anathematizari, et nomine anathematis eorum in insania sua anathematizavit Dominum et apostolos eius et omnes doctores orthodoxos qui, vestigia eorum secuti, doctrina sua apostolica claruerunt, et valide ac fortiter pugnaverunt contra singulas haereses tempore suo exortas. Ipse in insania sua omnes haereses simul pariter admiscuit et commiscuit eisque omnibus acquievit, et anathematizavit omnes qui eis non acquiescebant, blasphemans sicut illi et magis quam quisque propter potestatem tyrannicam dignitatis suae impiae, sicut ostendimus, in libro refutationum omnis eius impietatis et blasphemiae quem scripsimus, spatio octo .....[1] et amplius, per virtutem Christi quae infirmitati nostrae adest. Et ostendimus ex Scripturis sacris et ex testimoniis omnium doctorum universalium, hos sanctos et venerandos, quos calumniatus est impius iste, esse veros orthodoxos, et in doctrina eorum non esse culpam nec maculam nec defectum, neque in moribus eorum fraudem aut mendacium; absit! Sed per doctri-

[1] Hic in textu occurrit vox ܢܒܝ̈ܐ « prophetae », quae corrupta videtur; prolixitatem operis notat auctor; exspectes: spatio octo « fasciculorum », aut quid huius modi.

nam suam potentem et invictam armis Spiritus sancti omnia moenia erroris everterunt, et scripta eorum sunt arma insuperabilia, igne Spiritus sancti conflata adversus omnes haereses quae fuerunt et futurae sunt ad eorum interitum, sicut illae quae factae sunt tempore nostro per Ḥananam adiabenum et Messalianos hariolos. Et oportet nos ex blasphemiis, quae sunt in libro quem Iustinianus maledictus adversus orthodoxos scripsit, quarumque fecimus refutationem tanta prolixitate, nunc pauca proferre ex capitibus anathematum eius et etiam hic refutare, ut per refutationem blasphemiarum eius agnoscatur *veritas invicta de hac unione adoranda quae p. 83.
facta est propter salutem nostram. Nam verba, quibus eum redarguimus, scopo quem nobis proposuimus conveniunt, et eisdem verbis veritatis hic *errores* destruentur.

In capite secundo [1] anathematum suorum vanorum Iustinianus maledictus sic impie loquitur: « Quicumque non confitetur eiusdem Dei Verbi esse duas generationes, unam ante saecula ex Patre sine tempore et sine corpore, alteram in novissimis diebus cum de caelo descendit et incorporatus est de sancta et gloriosa Deipara, semper virgine, anathema sit ».

Refutatio: Nos vero dicimus mentem Scripturarum sacrarum et traditionem totius Ecclesiae catholicae et apostolicae sic esse: Quicumque non confitetur eiusdem unius Domini Iesu Christi esse duas generationes, — quia in divinitate sua natus est ex Deo Patre ante omnia saecula, et in humanitate sua ex beata Maria virgine sancta sine coniugio, — qui per Spiritum sanctum formatus est, et ab initio formationis eius Deus Verbum unitive habitavit in eo et eum fecit secum, et in aeternum, unum filium, et unus est filius Dei in duabus naturis, in divinitate sua ex Patre sine matre ante tempora, et in humanitate sua temporaliter et unitive ex matre sine patre, sicut explicant Scripturae per mysterium Melchisedech, veritatem negavit. Si ergo duae generationes, secundum blasphemiam istius, sunt Dei Verbi naturaliter et hypostatice, tunc fieri potest ut Deus Pater duas generationes naturaliter et hypostatice faciat, unam spiritalem et alteram corporalem. Et

[1] Cf. Mansi, *Concil. amplissima Coll.*, t. IX, col. 378; *Patr. Lat.*, t. LXIX, col. 245.

p. 84. si Filius naturalis Patris est in duabus *generationibus ex Patre et ex Maria hypostatice, sicut iste dixit, homo Domini nostri in neutra generatione natus est quia non habet nativitatem hypostaticam ex natura matris suae. Non est enim hypostasis quae ex hypostasi sibi consubstantiali non nata sit quantum ad naturam, et non est hypostasis quae sub natura universali, ex qua est, non includatur. Et quomodo humanitas Domini nostri appellaretur filius hominis et filius David, si non haberet nativitatem naturalem ex hominibus et ex David qui de genere eorum natus est? Ecce enim et laus puerorum, qui fuerunt instrumentum Spiritus sancti, blasphemiam infidelium redarguit: nam in laudibus suis eum appellaverunt filium David: « Hosanna filio David »[1] etc. Et Paulus magnus, secreti divini particeps, eum appellat « Adam novum » eumque denominat « hominem secundum ». Ecce veteri oppositus est novus quoad hypostasim et etiam secundus quoad numerum, quia orthodoxi sciunt dualitatem non esse in Trinitate sancta, sicut nec quaternitatem nec quintitatem, ut ostensum est superius.

Rursus, alio modo. Si homo Domini nostri cum divinitate eius est una natura cum Deo Patre, ergo etiam Deus Pater est una natura cum homine Domini nostri, *et* essentia, in esse suo divino, non est incorporea, nec simplex; et mentita est Veritas quae dixit: « Spiritus enim est Deus »[2].

Rursus, alio modo. Si divinitas Filii est una natura cum David et Abraham et Maria, sicut humanitas eius, consubstantialis illis, est una natura et una hypostasis cum divini-
p. 98, l. 20. tate eius, ergo omnes homines sunt cum[3] *Deo Verbo et cum Patre et Spiritu sancto una natura.

Rursus, alio modo. Si Deus Verbum naturaliter et hypostatice natus est ex Patre, et idem naturaliter et hypostatice natus est ex Maria, quae ideo est mater Dei[4], quemadmodum natus est ex Patre, ergo Deus et Maria sunt una natura, sicut Deus Verbum et humanitas eius sunt una natura et

[1] Matth., xxi, 15. — [2] Ioh., iv, 24. — [3] Hic accidit in codice Londiniensi nova foliorum transpositio; vide Praefationem ad textum. Ordinem rectum in versione restituimus. — [4] Pro more, verbis « mater Dei », « mater Christi », « mater hominis », vertimus duplex vocabulum syriacum quod strictius respondet graecis vocibus θεοτόκος, χριστοτόκος, ἀνθρωποτόκος.

una hypostasis, et sicut Abel natus est ex Adam et Heva qui sunt eiusdem unius naturae et genuerunt ad similitudinem suam et secundum imaginem suam hypostasim ex hypostasi, liberos eiusdem naturae humanae. Ecce vero haec est blasphemia cui nulla venia est. At non ita docent Scripturae nec explicant *Patres in spiritu loquentes, o iniqui Theopaschitae: p. 99. sed ita docent et explicant Christum natum esse ex beata Maria: — « Generatio autem Iesu Christi sic erat [1] »: nomen enim Christi significativum est divinitatis et humanitatis Filii in una persona, sicut supra ostensum est; — eumque in natura sua humana natum esse ex Maria unitive; non enim in divinitate sua, in qua ab aeterno ex Patre, secundum exempla radii et verbi, hypostatice natus est sine successione et ante omnia momenta, sed in natura sua humana natus est ex Maria virgine, sicut ostensum est: quam *naturam* in initio formationis eius Deus Verbum sumpsit et in ea habitavit sicut in templo, unitive et inseparabiliter, in aeternum. Et propter hanc unionem ineffabilem ab utero factam, beata Maria dicitur mater Christi, quia Christus est Deus et homo: nam ipsa de natura sua genuit hominem qui ab initio formationis suae Deo Verbo adhaesit: mater autem Dei, quia *Deus Verbum* hunc *hominem* in initio formationis eius sumpsit et in eo habitavit sicut in templo per unionem personalem. Deus Verbum non habuit initium exinde; ecce enim dicitur descendisse et incorporatus et inhumanatus fuisse; aliud vero est corpus et homo secundum naturam, et aliud ille qui in eo incorporatus et inhumanatus est, sicut aliud est indumentum ab induente et aliud arma ab armato. Si itaque Maria diceretur simpliciter hominem tantum peperisse, *Christus* reputaretur homo simplex, sicut Paulus Samosatensis impie dixit, et beata Maria etiam privaretur illo honore quo est et appellata est benedicta in mulieribus. Item si diceretur mater Dei, salus nostra inveniretur esse commentum et phantasma, sicut dixit Manes impius, et secundum alios qui impie dixerunt *Mariam Verbo* fuisse viam tantum canalis instar et *Deum Verbum* in ea incorporatum fuisse transeundo nihil de ea *sumentem. Propter has duas sectas malas, beata p. 100. Maria dicitur mater Dei et etiam mater hominis: mater ho-

[1] MATTH., I, 18.

minis ex natura sua, et mater Dei propter unionem factam *Deo Verbo* ab utero cum tamen Deus Verbum ab ea initium non accepit. Et Deus et homo in unione personali, id est, assumens et assumptus, forma Dei et forma servi, sunt ipse Christus, quemadmodum supra ostensum est per testimonium ex epistula ad Philippenses: nam nomen Christi denotat divinitatem et humanitatem Filii in una persona: « Ex quibus apparuit Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia [1] ».

Et adducamus exemplum pro similitudine, etsi hic unio est naturalis et in Christo unio est personalis. Quemadmodum mulier propter partum dicitur simpliciter mater hominis, quamvis optime sciamus animam ex muliere non esse: sed quia anima in uterum inspirata est et secundum unionem hypostaticam ad nativitatem venit, non dicimus mulierem corpus peperisse aut animam, sed hominem: ita et illic. Etenim, quia ab initio formationis hominis Domini nostri unio facta est et is *homo* est templum unitum Deo ab utero, hac de causa beata Maria dicitur mater Christi, quod est nomen denotans personam unionis divinitatis et humanitatis eius in una filiatione, et in aeternum.

Rursus, in capite quarto anathematum suorum vanorum dicit Iustinianus [2]: « Quicumque dixerit secundum gratiam, aut secundum operationem, aut secundum dignitatem, aut secundum aequalitatem honoris, aut secundum potestatem, aut per elationem [3], aut secundum adhaesionem, aut secundum virtutem, unionem Verbi ad hominem factam esse: et dixerit eam factam
p. 101. esse secundum voluntatem *et honorem et adorationem; et non confessus fuerit eam factam esse hypostatice per compositionem, et ideo eandem hypostasim compositam esse, quae est Iesus Christus, una de hypostasibus Trinitatis, [anathema sit] ». Et qui non ita confitetur, anathematizabit Iustinianum impium, sicut anathematizatus est a beato Paulo et omnibus orthodoxis.

Rursus pergit *Iustinianus*: « Unio per compositionem facta est Deo Verbo ad carnem, quae unio est hypostatica; unio per compositionem et mysterium de Christo, non solum sine confusione conservat ea quae convenerunt, sed neque divisionem suscipit ».

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] Cf. Mansi, *op. cit.*, t. IX, col. 378; *Patr. Lat.*, t. LXIX, col. 247. — [3] Vox syriaca vertit graecum ἀναφορά, pressius quam latina « relatio ».

Scriptor: Quia per refutationem erroris huius, qui in totum imperium romanum iam serpsit per tyrannidem maledicti istius, veritas ecclesiastica invicta agnoscitur, primum rogo ne taedeat lectorem si eisdem primis verbis, quibus usi sumus contra patres eius, ei occurramus eumque refutemus. Res enim nos cogit ad scopum nobis propositum ut gradatim abscindamus capita viperarum harum.

Iustinianus: « Quicumque dixerit per gratiam, aut secundum dignitatem, aut secundum aequalitatem, aut secundum potestatem, aut secundum elationem, aut secundum adhaesionem, factam esse unionem *Dei Verbi* ad hominem, et dixerit *factam esse* secundum voluntatem, prout *homo* Deo Verbo placuit qui sentiit de eo *homine* id quod iustum et bonum est », etc.

Refutatio: Quis ex sapientibus, qui Scripturas callent et sensum earum intellegunt, non cognoscit et novit hos modos quos excogitavit ille maledictus non exsistere, neque unionem dicendam. ⌈Si enim sine adhaesione duarum naturarum *assu- p. 102.
mentis et assumpti, in unam personam voluntariam, nec *adhaesio* in unam naturam et hypostasim obligatam, nec *adhaesio* unius honoris, potestatis et operationis exstat in aliqua coniunctione, neque illa *adhaesio* participationis ad unam actionem est unio, sed solum nomen vanum unionis: non enim apparet quaenam sint naturae quae in unum unitae sunt, nec in quo sint duo, nec in quo *sint* unum, nec si naturaliter uniantur, necessaria coactione, aut si in voluntate personali (?) [1]. Et rursum *quoad* personam (προσώπον), sive per adhaesionem, sive per distantiam *naturarum*, sive modo quocumque alio, iam non est hypostasis et natura quae sibimet faciat unionem, cum nulla alia cum ea percipitur, aut quae coniungatur coniungendae, sive a se, sive ab alia, sive lege necessaria et coacta, sive *lege* voluntaria et personali [2]. Sed viri sapientes et iudices veritatis bene intellegere debent illud: Quicumque recipit aliquid sublime, non habet illud ex natura sua per transmissionem genericam et naturalem; sed ea, quae accepit ab alio se maiore, sublimiora sunt natura ipsius, et per gratiam recipit ea, et per gratiam conceduntur illi ab eo qui illi dat quae natura-

[1] Legendum ܦܪܨܘܦܐ (?). — [2] Locus obscurus; ad litteram quantum potuimus vertimus.

liter non habet, et ipse honorem et oboedientiam retribuit ei qui prius honoravit illum debitis iustitiae. Deus Verbum autem naturaliter est Filius aeternus Patris aeterni, non vero per gratiam aut assumptive; et omnia, quae habet, naturaliter habet sicut Pater et sicut Spiritus sanctus praeter paternitatem et processionem — et una est eis aeternitas, et infinitas, et invisibilitas, et causa omnium, et una virtus, et potestas, et dominatio, et dignitas, et cetera, in una aequalitate unius naturae aeternae Trinitatis perfectissimae — et haec possidet sine mutatione. Illa enim, quae naturaliter habet, ab aeterno habet. p. 103. *Et ex eis quaedam possunt factis et creatis per gratiam dari, v. gr. in rationem bonorum; quaedam vero non possunt ulli creato aut facto dari, v. gr. aeternitas et infinitas et incomprehensibilitas. Hae quidem nec dari nec recipi possunt quia hae characteristicae sunt naturae divinae, quae est aeterna et naturaliter excelsa et unica et supra omnes creaturas, et nobis indicant unitatem divinam quae est in essentia sua ab aeterno et est sicuti est in aeternum. Pariter et haec: res facta, limitatio, temporaneitas, comprehensio, determinatio et indigentia, nobis denotant se pertinere singulariter, et peculiariter, et unice ad creata et facta. Haec, quemadmodum ad existentiam per gratiam venerunt, sic ea quae habent per gratiam possident a creatore et factore suo tanquam ex causa omnium. Deus Verbum autem, cum voluntate Patris et Spiritus sancti, ad revelationem suam hominem completum sumpsit de Maria Virgine et de genere domus David, sicut supra ostensum est. Et cum initio formationis huius *hominis* fuit unio eius ad personam oeconomiae, et *Deus* in eo habitavit sicut in templo, in una adhaesione et unione ineffabili, eique dedit et communicavit omnia quae possunt dari cum tamen remanent apud datorem suum: dignitatem filiationis, dominationem, adorationem, virtutem, et potestatem. Et ei dedit etiam immortalitatem, et immutabilitatem, et scientiam perfectam: « In eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae [1] », et « subiecit ei omnia » [2], quia haec sunt propria divinitati sed secundum participationem dantur. Et quia haec naturaliter non p. 104. habet forma servi assumpta, id est, *homo unitus Domini no-

[1] *Col.*, II, 3. — [2] *Hebr.*, II, 8.

stri, dicimus illum ea habere personaliter, assumptive, per donum, per participationem et unionem, ita ut sit unus cum *Deo* secundum honorem et nomen, quemadmodum dictum est ad matrem eius: « Filius Altissimi vocabitur [1] »: et: « Datum est ei nomen quod est excellentius omnibus nominibus [2] », et quemadmodum *Christus* post resurrectionem suam nomine humanitatis suae dixit: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra [3] ». Et beatus Petrus dixit: « Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis [4] »: et beatus Paulus dixit in epistula ad Ephesios: « Secundum operationem potentiae virtutis eius quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens eum ad dexteram suam in caelo, supra omnes principatus, et potestates, et virtutes, et dominationes, et supra omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus eius; et eum, qui est super omnia, dedit caput Ecclesiae quae est plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet [5] ».

Itaque haec omnia sublimia et gloriosa et mirabilia ad hominem Domini nostri pertinent, non naturaliter, sed propter unionem, ut dixi. Quis ergo christianus, in quo est fermentum vitae et discretio spiritalis, qui pulsavit et aperuit etsi paululum et intuitus est et intravit bibliothecam Scripturarum, non confitetur haec ita se habere, nisi qui mente captus est propter fulgur excaecans, et factus est, et est instrumentum spirituum malorum erroris? Non enim in sua divinitate accepit illa Christus Dominus noster qui de hypostasi sua divina dixit: « Omnia quaecumque habet Pater mea sunt [6] », et: « Ego sum in Patre meo et Pater meus in me [7] ». Et praecones dixerunt: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso nihil factum est »; et ipse est lux de luce, et aeternus de aeterno, et omnipotens de omnipotente, et causa omnium *creaturarum. Sed omnia haec dona sublimia, p. 105.
id est, assumptionem virtutis, et honorem, et adorationem, et cetera, homo Domini nostri per unionem et participationem possidet cum Deo Verbo qui eum ad personam suam assumpsit. Et quemadmodum *Deus* eum, cum non exsisteret, formavit et fecit hominem hypostatice, sic etiam dedit ei haec sublimia

[1] Luc., I, 35. — [2] *Philipp.*, II, 9. — [3] Matth., XXVIII, 18. — [4] *Act.*, II, 36. — [5] *Eph.*, I, 19-23. — [6] Ioh., XVI, 15. — [7] Ioh., XIV, 11.

quae non habebat, eumque unitive participem effecit omnium suorum, praeter naturam suam, sicut dictum est[1]: « Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius », sed naturam suam ei non dedit. Nomine enim humanitatis eius dixit: « dedit » ei, non autem nomine divinitatis eius, quia *Christus* dixit omnia, quae Pater habet, esse ipsius, et sua esse Patris, ut ostenderet aequalitatem. Equidem divinitas eius ab aeterno omnia habet cum Patre et Spiritu sancto. Orthodoxi vero non dicunt: Homo Domini nostri est filius adoptivus, sicut ceteri alii qui facti sunt domestici per adoptionem filiorum aut per famulatum simplicem, quamvis quoad immortalitatem primogenitus sit fratrum multorum, quemadmodum dictum est et expondituri sumus cum virtute Christi. Etenim si humanitas Domini nostri diceretur filius adoptivus, duo filii essent, unus naturalis, adoptivus alter; sed homo eius per unionem cum Filio est unus Filius. Quapropter nomine humanitatis eius dictum est: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret[2] ». Per gratiam autem, assumptive, personaliter, per participationem et unionem, *ille homo* est cum Deo Verbo qui eum ad personam suam assumpsit et fecit secum unum Filium Altissimi, sed non est naturaliter Filius nec Filius unigenitus Altissimi. Itaque dictum est: Assumpsit illum ad personam suam: et *ille homo* est imago unita invisibilitatis eius, et unus est Filius in duabus naturis, *in* una naturaliter, *in*
p. 106. altera unitive, ne sint duo fratres *aut duo diversi, unus naturalis, alter adoptivus, sed *ut sint* sicut hoc corpus super altare est mystice cum corpore, quod in caelo est, unum corpus per virtutem et sanctificationem et nomina, non duo corpora, etsi id hic fiat in distantia *naturarum*, illic vero *Deus Verbum et homo* sint inhabitatione et adhaesione unus Filius in aeternum.

Et *exponamus* illud: « per voluntatem », contra quod contendit maledictus iste. Deus Verbum quidem voluntarie prius sumpsit illum *hominem* ab utero ad personam oeconomiae suae et ad renovationem omnium; et postquam homo Domini nostri ad incrementum aetatis in gradibus suis iuxta naturam suam pervenit, *Deus Verbum* coniunxit eum voluntati divinae

[1] Per Iohannem Baptistam; Ioh., iii, 35. — [2] Ioh., iii, 16.

sapienter, et rationaliter, non necessario, nec coacte, nec naturaliter, dum ille inscius esset etsi unio illi facta fuerit ab utero: « Antequam cognosceret puer bonum et malum, scivit reprobare malum et eligere bonum [1] ». Et *ille homo* voluntarie adimplevit omnem oboedientiam usque ad mortem. Et quia voluntas eius unita erat voluntati Dei, qui in eo erat, sicut Deus eum ab utero personaliter sibi coniunxerat, hac de causa Deus, qui in eo erat, per actiones et per unionem quae ei facta est ab utero nec cognita erat *ei*, valde exaltavit illum ut omne genu flecteretur coram eo in una adoratione divina et non esset cum acceptione personarum. *Ille homo* hoc honore non naturaliter honoratus est, *sed* ut adoraretur unitive et esset in ordine divinitatis. Et Deus adoratur in templo suo, et templum adoratur propter illum qui in eo habitat in aeternum.

Et illud, quo maledictus iste blasphemavit et anathematizavit omnem qui dixerit *naturas* secundum aequalitatem nominis denominari, *refutabimus*. Ecce sapientes et periti Scripturarum intellegunt quod, quemadmodum naturae ad unum coniunctae sunt, coniuncta sunt etiam nomina earum ad unum in uno nomine personali, et *nomina* accipiunt et dant se invicem in hac una persona. Ecce vero etiam in hoc impius iste anathematizat Dominum nostrum *et apostolos et omnes Patres p. 107.
qui vestigiis eorum institerunt, sicut et supra ostendimus. « Filius hominis qui est in caelo [2] »; et: « Cum videritis Filium hominis ascendentem quo erat prius [3] ». Sed ecce Filius hominis, cum haec dicebat, non erat in caelo; neque inde descendit — ecce enim ex Virgine sumptus est — sed nomine unionis *haec dicta sunt*. Ita et illud: « Ego sum panis qui de caelo descendi: et panis, quem ego dabo, corpus meum est quod pro vita mundi frangetur [4] »: sed ecce corpus *eius* non de caelo descendit. Ita et nomina divinitatis eius pertinent ad humanitatem eius assumptive et unitive: « Si enim illam cognovissent, Dominum gloriae non crucifixissent [5] »: et: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret [6] ». Ecce non pertulit mortem in natura sua divina, sed templum eius solutum est, quod ipse suscitavit: et cetera huiusmodi.

[1] Is., VII, 16. — [2] Ioh., III, 13. — [3] Ioh., VI, 63. — [4] Ioh., VI, 51, 52. — [5] I *Cor.*, II, 8. — [6] Ioh., III, 16.

Et illud quod dixit maledictus iste: « Una est hypostasis composita, quae est Iesus Christus, una de hypostasibus Trinitatis » fieri non potest; et anathematizat quemcumque non blasphemantem sicut ipse. Adversus eum etiam hic pauca dicemus per argumenta priora, quae contra socios eius adduximus, ut vere detegatur blasphemia eius, et sic redarguantur omnes qui Deum passioni obnoxium faciunt per unionem naturalem et hypostaticam, et veritas melius cognoscatur. Et quia Patres nostri vestigia apostolorum secuti sunt, nos etiam vestigiis eorum instabimus. Sani enim et bene investigantes sciunt quod, *in* omni composito, aut totum cum toto componitur, aut pars cum parte, aut pars cum toto. Dicat stultus iste, et omnes Theopaschitae, impietati eius acquiescentes, quaenam sit haec una hypostasis quae est una de hypostasibus Trinitatis? Si est quidem una de hypostasibus Trinitatis, non composita fuit; quod si composita fuit, composita fuit cum alia hypostasi a se p. 108. aliena secundum hypostasim. *Quod si tota cum *alia* tota composita est, quomodo *id factum est?* Sicut anima et corpus unam hypostasim *constituunt*, ita tota natura Dei Verbi cum tota natura hominis composita est, et fecit eam secum unam hypostasim, iuxta impietatem illius. Si res ita se habet, tunc sanctae hypostases Trinitatis a se invicem separatae sunt quia haec una *hypostasis* amisit esse hypostasim incompositam cum Deo Patre, et facta est hypostasis partim cum alia ad complendam aliam hypostasim, et *facta est* ex infinita finita, et ex impassibili passibilis, et coniuncta est homini coacte et hypostatice, et non potest non pati cum corpore et non operari omnia corporis per participationem; neque illud corpus, id est, homo eius, potest, absque divinitate quae cum eo composita est hypostatice, operari aliquid naturale seu ea quae ad necessitatem ipsius naturalem et passibilem spectant. Is enim est ordo eorum, quae in unum composita sunt, ut absque mutua compositione nihil agere possint, nec subsistere hypostatice, neque unum sine socio suo pati, quamdiu per compositionem coarctantur, et unumquodque eorum amisit per compositionem et mutuam communicationem id quod habebat dum erat in simplicitate sua. Itaque *ex compositione* hoc habent quod proprietates eorum constituantur, tum illa operandi hoc et illud, tum illa patiendi, quemadmodum anima cum corpore habet quod in passionibus

eius patiatur, et per illud discat et operetur, et corpus per eam vivat et patiatur et moveatur et operetur. Et sicut confortantur mutuo, ita et mutuo debilitantur: et anima, mortuo corpore, sine operatione manet, etsi vitalitas eius et rationalitas eius et cognitio apud eam tanquam in somno servantur, iuxta sententiam Patrum.

Res vero ita se non habet in hac unione adoranda et mirabili; absit! Deus enim non patitur cum humanitate sua per compositionem, quia impassibilis est *in natura sua: neque [p. 109.] operationes eius cessarunt dum anima a corpore tempore mortis separata est, quemadmodum cessarunt operationes corporis et animae, sed cum Patre et Spiritu sancto omnia vivificabat et movebat et regebat, sicut et humanitatem suam passionibus perfecit et a mortuis suscitavit, ut supra ostensum est.

Rursus, alio modo. Si pars cum toto composita est, quaenam est illa pars cum toto composita? Si pars Dei cum toto homine, ecce impietas pagana Ḥananae Chaldaei maledicti; item, si pars hominis cum toto Deo, ecce impietas Arii et Apollinaris, omnes impietates superans. Etenim hypostasim completam Dei Verbi componi cum dimidiata [1] hypostasi, *id est,* homine, *ut [p. 95, l. 30.] fiat una hypostasis impossibile est: sin aliter, unum ex *duobus [p. 96.] invenitur in impietate *eorum*: nam aut Deus Verbum defecit a perfectione hypostasis suae, aut quantitas corporea hypostasi eius addita est, et ipse alienus factus est ab hypostasibus aequalibus Trinitatis.

Rursus, alio modo. Omne quidem compositum partibus compositionis suae limitatur, et partes eius se invicem limitant, sicut domus composita ex lapidibus et lignis, et sicut corpus compositum ex partibus suis, et partes membrorum eius ab invicem, et cetera huiusmodi. Cum res ita se habeat, Deus Verbum, *si est una hypostasis composita,* remotus est ab infinitate sua naturali quam habet cum Patre et Spiritu sancto, et venit sub limitem et terminum et mensuras, quemadmodum impie dixerunt Cyrillus aegyptius et Ḥanana adiabenus cuius vita meledicta est. Et ecce haec sententia mala anathematizata est a synodo oecumenica *quae anathematizavit* omnem

[1] Apollinaris docebat Verbum corpus, et animam sine mente assumpsisse.

qui dicit contractionem divinitatis ad quantitatem aut expansionem humanitatis ad infinitatem.

Rursus, alio modo. Id etiam sciunt amatores veritatis quod omnia, quae a non compositione ad compositionem transeunt, aliquid novi per compositionem simul constituunt quod non habebant partes, ex quibus composita sunt, *id est*, formas diversas et etiam operationes et actiones in una harmonia composita: v. g.: navis et plaustrum, ex lignis et ferro composita, per compositionem possident et operantur id quod in partibus suis non habebant: et anima et corpus conveniunt ad constituendam unam hypostasim, hominem, sive ante mortem, sive post resurrectionem: et cetera huiusmodi.

p. 97. Rursus, alio modo; exemplum ex eadem materia. *Si Deus Verbum cum homine unam hypostasim constituit, cum quanam natura reputabitur haec hypostasis et in quanam essentia includetur ut inter hypostases, quae in hac et sub hac essentia sunt, numeretur? Cum quanam natura reputabitur haec hypostasis? Cum Trinitate sancta, quae est simplex et infinita, an cum hominibus qui sunt finiti et passibiles? Si cum Trinitate, additio facta est Trinitati, ut supra diximus; si cum hominibus, ecce additio facta est naturae hominum. Quod si *haec hypostasis* non est una hypostasis cum Trinitate, nec una hypostasis humana cum hominibus quasi hypostasis omnium hominum, sed est hypostasis peculiaris et unica in specie sua, iam non est Deus nec homo; nunc dicant nobis impii quem adorabimus.

Rursus, alio modo. Nulla hypostasis habet quasdam partes finitas et loco conclusas, et quasdam infinitas et incircumscriptas. Nec est hypostasis quae cum duabus naturis inter se diversis naturaliter coniungatur, et sit cum una natura eadem hypostasis, et cum altera natura eadem hypostasis sine mutatione, nisi forte secundum apparentiam et phantasiam, sicut dixit Manes impius.

Rursus, alio modo. Si Deus Verbum est hypostatice cum corpore una hypostasis et natura, et haec hypostasis est consubstantialis Patri in omnibus suis sicut hypostases in natura inclusae et natura in hypostasibus agnita: ergo etiam Pater et Spiritus sanctus sunt compositi in hypostasibus suis, sicut Filius ipsis consubstantialis; quae blasphemia revertatur super

vos, o iniqui, qui Deum passioni subiicitis per unionem hypostaticam.

*Rursus, alio modo. Si post compositionem Dei Verbi cum p. 98. carne animata, una est hypostasis, sicut dicunt illi iniqui, ergo ante compositionem semi-hypostasis erat. Quod si ante compositionem hypostasis est completa, non induta nec unita, et post compositionem una hypostasis, quid fecit compositio? Si nec naturam nec hypostasim fecit, ergo non est compositio componens nec unio coniungens, et nomen compositionis vanum est et phantasma commenti quod nihil est. Sed ecce in hoc libro *nostro* fuse refutavimus omne commentum et impietatem et blasphemiam regis huius tyrannici, *Iustiniani*, et enudavimus totum eius errorem, et *ostendimus* inter naturam infinitam et naturam finitam fieri posse, non unionem compositam et hypostaticam, sed unionem voluntariam et personalem, non quidem naturarum in *unam* naturam et hypostasim, sed naturarum et hypostaseon, quae servant proprietates suas sine confusione et sine separatione, in unam personam: nec unionem cum distantia, sed *unionem qua* Infinitus est in finito, forma Dei in forma hominis, inhabitator in templo suo, unus Dominus Iesus Christus, Filius Dei. Et, id quod dicunt Patres *sancti personam naturalem et hypostaticam, non *est* quia per- p. 84, l. 28. sonam appellaverunt *unam hypostasim, sed quia in hac una p. 85. persona unius Domini Iesu Christi agnoscuntur duae naturae et duae hypostases divinitatis et humanitatis Christi, et non in distantia, sed hypostasis infinita in una adhaesione. Et quemadmodum corpus appellatur animatum propter animam in ipso habitantem, et spiritale quia est habitaculum Spiritus sancti, ita et in hac una persona Christi sunt et agnoscuntur duae naturae in hypostasibus suis sine confusione: Deus in templo suo, quod in personam suam sumpsit ut in eo revelaretur, et homo dum Deus Verbum unitive in eo habitat et ostendit omnia divinitatis suae in una virtute et potestate et dominatione et dignitate in aeternum, iuxta exemplum quod Patres adhibent de igne in rubo et de rubo in igne. Sed adducamus exemplum de natura *creata* ad instructionem puerorum. Quemadmodum, scilicet, hic sol sensibilis speculo polito coniungitur in quo videtur tota eius operatio, in una luce et uno calore, dum sol in speculo non contrahitur circumscriptive nec speculum diffun-

ditur ut sol cum sole, sed servantur proprietates utriusque, solis et speculi, in una persona (προσώπῳ) unita, ita decet nos sentire etiam in hac oeconomia per unionem voluntariam et personalem et ineffabilem quae facta est Deo: ille Infinitus, illa lux de luce, splendor et figura substantiae Patris, et consubstantialis Spiritui sancto, mansit et habitavit unitive in humanitate sua, in una adhaesione et inhabitatione, in una potestate et dominatione, in una unitate unius personae unitae Christi, Filii Dei, in aeternum.

Rursus, alio modo. Quemadmodum denarius, in quo est effi-
p. 86. gies regia, in flammam ardentem proiicitur et ignis eum *totum in toto circuitu eius omnino circumdat, in uno calore et una flamma splendenti, dum tota flamma non contracta est nec circumscripta in denario aureo, nec denarius in totam flammam diffusus est, sed ambo unitive servantur: aurum in limitatione et quantitate sua parva, et flamma ignis in expansione sua naturali, et simul coniunguntur in una persona (προσώπῳ) denarii et flammae, in uno igne, in una effigie regia, in uno calore, in una corporeitate, in una virtute, in una illuminatione splendenti, ita et in hac unione, in hac una persona, quae est persona unionis, coniunguntur inconfusibiliter duae naturae divinitatis et humanitatis Christi, servatis proprietatibus earum in una adhaesione et virtute et potestate, in aeternum.

Deus enim Verbum agnoscebatur habitare in humanitate sua unitive in aeternum ex eo quod mundavit leprosos, eiecit daemonia, sanavit aegros, aperuit *oculos* caecorum, creavit oculos qui non erant, mutavit aquam in vinum, multiplicavit panem et pisces, creavit panem et pisces et staterem, suscitavit mortuos aliaque huiusmodi fecit, et ex verbis suis veris et non falsis quae probant eum esse consubstantialem Patri, quia dixit: « Ego et Pater meus unum sumus [1] »: et: « Qui videt me vidit Patrem [2] »; et: « Pater meus in me est et ego in Patre meo [3] »: et: « Pater meus usque modo operatur et etiam ego operor [4] »: et: « Vos a me electi estis ante fundamenta mundi [5] »; *et:* « Antequam Abraham fieret, ego sum [6] »; et: « In mundo erat et mundus per ipsum factus est [7] »; et:

[1] Ioh., x, 30. — [2] Ioh., xiv, 9. — [3] Ioh., x, 38. — [4] Ioh., v, 17. — [5] *Eph.*, i, 4. — [6] Ioh., viii, 58. — [7] Ioh., i, 10.

« Ipse est splendor gloriae eius et figura substantiae eius [1] »; et : « Per eum fecit saecula [2] »; et : « In principio erat Verbum [3] »; et : « Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi [4] ».

Item humanitatis eius *unitae *indicia habemus* ex eo quod p. 87. est ex semine domus David et Abraham, et ex Virgine sumptus est, et per Spiritum sanctum formatus est unitive, et perfectus est secundum ordinem suum, et natus est, et exivit per portas virginales cum Deus Verbum eum induisset, et involutus est pannis, et positus est in praesaepio, et circumcisus est, et profecit statura et sapientia sua et gratia, et confortatus est a Spiritu ut per hoc ostenderetur unam esse virtutem Trinitatis, et iustificatus est in spiritu, et esurivit, et sitivit, et fatigatus est, et dormivit, et tentatus est a diabolo quem prostravit virtute et auxilio divinitatis quae in ipso est, et passus est, et colaphis vapulavit, et verberatus est, et extollentes eum suspenderunt in ligno, corpore eius clavis confixo, et mortuus est, et tradidit spiritum suum, et confossus est lancea, et latus eius apertum est ex quo exierunt sanguis et aqua in sacramentum magnum, et deposuerunt eum de cruce, et corpus eius sindone involutum positum est in sepulcro in quo fuit per tres dies, et divinitas eius, quae in eo est, eum suscitavit. Per haec omnia bene cognoscitur eum habere animam quae voluntate sua libera operabatur ea quae ad naturam suam spectant, et eum esse hominem completum. Et illud : « Antequam sciat bonum aut malum, reprobabit malum et eliget bonum [5] »; et illud : « Crescebat statura corporali et etiam proficiebat sapientia [6] »; et illud : « Iustificatus est [7] », quod ad voluntatem eius pertinet cum virtute quae adiuvit eum; et haec : afflictus est, et maestus est, et conturbatus est tempore passionis, — proprium enim est animae rationalis, iudicio praeditae, ut patiatur cum corpore suo, etiam si in cogitationibus suis spe confortata est, sicut ipse dixit : « Corpus infirmum est, spiritus vero promptus [8] »; — et illud : « Oboediens factus est usque ad mortem [9] » : haec et alia huiusmodi agnita

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Hebr.*, I, 2. — [3] Ioh., I, 1. — [4] Matth., XXVIII, 20. — [5] Cf. Is., VII, 15-16. — [6] Luc., II, 52. — [7] I *Tim.*, III, 16. — [8] Marc., XIV, 38. — [9] *Philipp.*, II, 8.

sunt quia servatae sunt proprietates corporis et animae in unione, sine confusione.

Ita et post resurrectionem *eius*, quod, sicut dictum est, « non derelicta est anima eius in inferno, neque corpus eius
p. 88. vidit corruptionem [1] »: *et discipulos suos de resurrectione sua certiores fecit, eo quod illis se palpandum praebuit et cum illis manducavit; et ipse est qui cum illis loquebatur anima rationali quam possidet; et coram illis videntibus ascendit et absconditus est ab oculis eorum; et quod ita venturus est in forma sua corporea sicut visus est ascendere, haud soluta compositione humanitatis suae, etsi venturus est cum gloria magna, sicut expositum est superius, et ex argumento typico quod in monte discipulis suis ostendit: ita ex his omnibus cognitum est ab initio annuntiationis Gabriel angeli fuisse assumptionem *seu* unionem divinitatis Christi cum humanitate eius, quia *Verbum* assumpsit eum ad personam suam, et in eo habitavit sicut in templo, et eum fecit secum Filium in una unione et adhaesione, eumque perfecit in omnibus rebus sublimibus in hac unione. Nec confusa est nec soluta unio illa adoranda ab initio unito, nec solvetur nec confundetur in aeternum; sed servantur naturae in proprietatibus hypostaseon suarum absque confusione, absque admixtione, absque separatione, *naturae scilicet* divinitatis et humanitatis eius, in una persona unionis unius Domini Iesu Christi, Filii Dei. Ipsi et eius Patri et Spiritui sancto gloria et honor et exaltatio et adoratio in saeculum saeculorum. Amen.

Caput decimum: Quod argumentis perspicuis ostendere oporteat quandonam facta sit illa unio adoranda divinitatis et humanitatis Christi ad unam personam oeconomiae.

Quoad illud igitur: Quandonam facta sit unio divinitatis et humanitatis Domini nostri in una adhaesione filiationis: pari modo, sicut sunt de unione plures diversae sententiae horum
p. 89. et illorum, ita etiam de tempore quo facta est unio *multae sunt opiniones. Sunt enim qui dixerint quadraginta diebus *post conceptionem*, cum in eum anima inspirata est, tunc factam

[1] *Act.*, II, 31.

esse unionem perfectam duarum naturarum ad unam personam. Et sunt qui impie dixerint tempore baptismi unionem voluntariam factam esse, nempe Deum sibi complacuisse in homine in quo, propter iustitiam eius, habitare fecit voluntatem suam, sed non esse unionem personalem duarum naturarum in una adhaesione. Hac quidem aperta negatione Paulus Samosatensis, mente captus, peccavit qui, sicut Iudaei, dixit Dominum nostrum esse hominem simplicem, velut unum de prophetis et iustis, in quo voluntas divina habitavit; et eum initium habuisse ex Maria; et non exsistere Filium aeternum Patri consubstantialem, sed unam esse hypostasim naturae divinae; et nomen Christi denotare hominem unctum ut esset sicut unus de unctis, qui per honorem vocatus est filius sicut Salomon, non autem personam unionis duarum naturarum et duarum hypostaseon in una adhaesione filiationis; ⌜et ex baptismo possedisse nomen filiationis[1], quia accepit gratiam Spiritus sancti ut Deus per eum adimpleret oeconomiam suam, secundum vocem in Iordane auditam: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui[2] »; et non esse Deo Filium naturalem, quia una est hypostasis Dei, et hoc cognosci ex eo quod ipse Christus post baptismum, cum accepisset librum et legisset: « Spiritus Domini super me; propterea unxit me[3], etc. », postquam legerat, dixit: « Hodie impleta est Scriptura ista in auribus vestris[4] », sicut illi, coram quibus legit, testimonium ei dederunt se verbum eius ratum habere.

Et sunt haeretici quidam qui magis quam priores peccaverint, dicentes *ex resurrectione tantum perfectam fuisse filiationem, quia *Christus* per resurrectionem est primogenitus fratrum multorum, sicut beatus Paulus testimonium ex David adduxit: « Filius meus es tu et ego hodie genui te »; et: « Ita Deus suscitavit eum a mortuis ut amplius non videret corruptionem[5] », etc. Alii vero impii, fautores Arii et Apollinaris, et asseclae Cyrilli, et Eutychetis et Severi, discipulorum Cyrilli, quia unionem naturalem et hypostaticam omnes sceleste dixerunt, Deum passioni obnoxium faciunt quamvis inter se dis- p. 90.

[1] L haec habet in margine, quae ad textum pertinere videntur. — [2] MATTH., III, 17. — [3] LUC., IV, 18. — [4] LUC., IV, 21. — [5] *Act.*, XIII, 33-34.

sentiant. Unus dicit: *Verbum* corpus sumpsit, animam vero non sumpsit; alius dicit: *Verbum* animam sumpsit, mentem autem non sumpsit. Cyrillus et cohors eius, qui etiam diverso modo peccaverunt per dissensiones inter se, nunc dicunt assumptionem, nunc negant assumptionem et dicunt creationem, nunc sicut Manichaei confitentur, sed eadem impie dicunt quia et ii omnes, qui assumptionem confessi sunt, unionem naturalem et hypostaticam impie dixerunt. Et, quasi summatim, omnes sic dixerunt: Cum assumptione unio naturalis facta est; aliquid superabundavit et non additum est huic corpori ratione perfectionis cuiusdam, quia ratione instrumenti perfectum erat hypostatice: et divinitati excelsa et humilia simul tribuenda sunt, passio et mors et haec cetera; et Deus Verbum est qui passus est secundum carnem, nec alia natura passa est, quia corpus animatum est Deus, et Deus est corpus, et hypostatice inhumanatus est; et non licet distinguere: et propter hanc unionem naturalem et hypostaticam, in initio formationis suae animatum est *corpus*, nec anima in illud inspirata est quadraginta diebus *post conceptionem* secundum ordinem omnium puerorum, quia unio naturalis et hypostatica non bis facta est.

p. 91. Hae vero omnes sententiae perversae, *maxime impiae, quae sunt extra traditionem Ecclesiae apostolicae, prolatae sunt in perditionem eorum. Ecclesia autem Christi, cuius fundamentum super saxum Petrinum positum est, sic confitetur: Ab annuntiatione angeli Gabriel ad beatam Mariam unio facta est, non naturalis nec hypostatica, sed voluntaria et personalis per adhaesionem et inhabitationem, ut Deus Verbum in illo revelaretur, et in eo adimpleret totam suam oeconomiam, et ostenderet initium mundi novi, et in eo adoraretur in aeternum; non autem ut faceret eum consubstantialem sibi, aut ut iste esset cum ipso una natura et una hypostasis aeterna et infinita, — quod nullo modo fieri potest, — sed ut esset ipsi habitaculum et templum unitum ad revelationem maiestatis ipsius per virtutem et honorem et adorationem — « Manifestatus est in carne [1] », etc. — et solveret debitum generis sui adamaei. Et una cum assumptione fuit unio, et cum assumptione et unione unctio perfecta est, quia *ille homo* formatus est a

[1] I *Tim.*, III, 16.

Spiritu sancto unitive, et Spiritus sanctus ei fuit loco olei unctionis, ut adhaereret Deo Verbo et esset cum eo Filius unitive in aeternum. Haec est quidem vera confessio ecclesiastica. Quamvis enim unio cum Deo Verbo facta sit illi *homini* ab initio formationis eius, et in aeternum, natura tamen eius humana ordinem suum in omnibus suis servavit, servatis proprietatibus utriusque sine confusione in unione perfecta et unctione ad adhaesionem quae est in una filiatione. Et cum initio formationis eius fuit assumptio eius, et unctio eius, et assumptio eius ad unionem et imaginem invisibilitatis, et Deus Verbum in eo habitavit, et in aeternum. Et *unio* non fuit secundum impietatem impiorum horum priorum qui dixerunt *eum prius* constitutum fuisse et deinde unctum, neque secundum *asseclas Pauli maledicti qui dixerunt *unionem factam* p. 92. *esse* in baptismo, neque secundum eorum socios qui dixerunt eum post resurrectionem honorem filiationis adeptum esse. Neque *dicimus* unionem naturalem et hypostaticam factam esse, quemadmodum dixerunt impii alii, absit! Sed *unio facta est* ad personam unitam unius oeconomiae adorandae, in aeternum. Et id cognoscitur cum omni certitudine ex libro Evangelii vivificantis. Etenim, postquam angelus Gabriel beatae et gloriosae Mariae nuntiavit: « Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi habitabit super te: propterea is qui nasciturus est ex te sanctus est, et filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius; et regni eius non erit finis; et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, quia nihil est impossibile apud Deum [1] », etc., quid tunc consequenter factum est? Cum igitur angelus Gabriel ab ea discessisset, beata Maria operatione divina ad confirmandam cogitationem suam mota est, quia mulier erat et nuntium acceperat rerum sublimium quae numquam *antea* facta fuerant. Et ut sciret et intellegeret quod res iam inceperant perfici in sua mirabilitate, et puer ex natura ipsius initium formationis suae acceperat, et una cum initio formationis eius erat assumptio eius unita, et Deus Verbum adhaeret ei et habitat in fructu ex ipsa, et conceptus non est simplex etsi absque concubitu, sed Filius Dei per unionem secundum verbum angeli-

[1] Luc., I, 35-37.

cum. *quid tunc factum est?* « Surrexit Maria in diebus illis, secundum verbum Lucae Evangelistae, et abiit in montem cum festinatione, in civitatem Iuda, et intravit in domum Zachariae, et p. 93. *salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in ventre eius, et repleta est Elisabeth Spiritu sancto, et exclamavit voce magna et dixit Mariae: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus in ventre tuo. Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut cecidit vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit infans cum gaudio magno in ventre meo: et beata quae credidit, quia perficientur illa quae dicta sunt ei a Domino [1] ».

Ecce igitur exinde cognitum est cum omni evidentia et absque dubio quod, una cum annuntiatione angeli, fuit unio et inhabitatio, quamvis homo Domini nostri in sua substantialitate animata nondum completus esset quia, sicut dixi et secundum traditionem omnium Patrum orthodoxorum, praeter concubitum, attamen quoad ceteras omnes naturae proprietates ordinem, sicut ceteri omnes pueri, servavit, nam formandus et animandus « in omnibus assimilatus est nobis, praeter peccatum » [2]. Et quid Elisabeth ad Mariam? « Benedictus fructus in ventre tuo ». Ecce igitur fructus ex natura eius, id est, caro in qua assumens eam incarnatus est unitive, etsi anima in ea nondum creata est. « Unde hoc mihi ut mater Domini mei ad me veniat? » Ecce in hoc loco sensus genuinus unionis Dei Verbi cum incarnatione eius, et *declaratio* quod iam Dominus est cum *carne* illa, et quod una est dominatio et adoratio Dei et templi eius unitive et in aeternum, quemadmodum dictum est: « Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis [3] »; et: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum sub pedes tuos [4] ». Etenim, ille est filius David secundum naturam, Dominus autem *et* Dominus David propter unionem sibi factam cum Deo Verbo p. 94. *ab utero in una dominatione et filiatione.

Considera, quaeso, illos eventus mirabiles et adorabiles et ineffabiles: quomodo in suis inceperint in hac oeconomia adoranda, per effusiones gratiae Spiritus sancti, quae est ex eo

[1] Luc., I, 39-45. — [2] Cf. *Hebr.*, IV, 15. — [3] *Act.*, II, 36. — [4] *Ps.* CIX, 1.

qui unitive manet et habitat et commoratur in fructu de natura Virginis, qui est Dominus secundum naturam et adhaesione habitat in eo quem fecit secum unum Dominum, per vocem matris eius. Cucurrit nimirum celeriter virtus cum voce Virginis et prodigio mirando, et intravit in aurem sterilis, et exinde cum voce intravit in infantem qui erat in ventre sterilis, et una cum voce infans gratia Spiritus sancti repletus est fluctibus beatis, et exsultavit cum omni gaudio perfecto quod futurum erat universo mundo: et ex abundantia gratiae Domini ex infante Mariae ad infantem Elisabeth, sicut ex Domino nostro ad matrem suam, per vocem, quae fuerunt virtutes prodigiosae et mirabiles? Incepit Elisabeth prophetare mirabilia et loqui prodigiosa et sublimia de infante unito et mirabili et adorando et glorioso qui erat in utero Mariae, et de illo qui unitive habitavit in infante ex natura eius in una gloria et dominatione, in aeternum. Et ecce, quasi summatim, cognitum est quod ab initio formationis hominis Domini nostri fuit assumptio eius, et unio eius, et unctio eius, et inhabitatio eius, et adhaesio eius cum Deo Verbo, qui eum assumpsit ad personam suam et ad imaginem unitam invisibilitatis suae in hac oeconomia adoranda; et quemadmodum dixit beatus Paulus: « Ipse est imago Dei invisibilis [1] »: et: « Signavit eos forma imaginis Filii sui [2] ». Et ex his probatum est una cum annuntiatione angeli fuisse assumptionem, et cum assumptione unionem, in aeternum, etsi completus est *secundum ordinem suum, p. 95.
quia caro primum *facta est* et deinde anima *inspirata est*. Quapropter Patres dicunt eum incarnatum esse, et deinde subiungunt eum inhumanatum esse anima rationali. Et quemadmodum una cum invocatione sacerdotis, in deprecatione super mysteria salutis nostrae, cum dicit sacerdos: Veniat gratia Spiritus sancti et descendat super panem hunc et calicem istum, et faciat ea corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi: et, una cum voce sacerdotis, illico, in ictu oculi, credimus quod factum est sacramentum, et gratia Spiritus sancti descendit et perfecit mysteria salutis nostrae, ut sint corpus et sanguis Christi, unum corpus in uno illapsu et in una virtute purificante et sanctificante, et unum est corpus Christi, non duo corpora,

[1] *Col.*, I, 15. — [2] *Rom.*, VIII, 29.

quamvis panis aliud sit secundum naturam et corpus aliud secundum naturam, et, quamvis naturae hic separatae sint ab invicem, per virtutem tamen et operationem consecrationis est unum corpus unus panis: ita et illic oportet nos intellegere quod, una cum voce angeli dicentis: « Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi habitabit super te[1] », illico, cum voce eius, in ictu oculi, facta est assumptio, et, cum assumptione, unio. Etsi quantitas *assumpta* fuerit parva et imperfecta, adhaesio tamen et unio Dei Verbi facta est cum carne quae est templum ipsius et imago invisibilitatis ipsius unitae, unus Filius in una dominatione, in aeternum, quamvis natura humanitatis eius ordinem suum servaverit in formatione sua a Spiritu sancto, sicut dixi, et lineamenta formae eius et incrementum quantitatis in omnibus temporibus naturalibus ad completionem venerint.

Sed haeretici Deum passioni obnoxium faciunt per unionem naturalem et hypostaticam. Nos ergo debemus stultitiam eorum paululum retundere. Hi enim miseri etiam hic delirant et blasphemant dicentes in errore suo: Ab initio conceptionis anima [p. 109, l. 11.] et corpus fuerunt simul in unione *hypostatica. Quod non antecedunt partes aliae alias, est sententia impiorum horum, etsi secreto dicant, *ipsi* et Origenes impius, « animas *prius* exsistere, et deinde coacte in corpora venire ut crucientur ». Et propter hoc decipiunt pueros, *dicentes:* Nos ita loquimur ne unio bis fiat, et cum non perficitur una hypostasis constans ex Deo et homine, nam ipsa est Deus et ipsa est homo, una natura et una hypostasis. Et dicunt: Non est ergo natura et natura, nec hypostasis et hypostasis, ne sint duo Filii, sed una est natura divina incorporata, ne sit quaternitas in Trinitate.

Ecce etiam et in hoc laqueus iniquorum horum super ipsos collabitur ad interitum eorum. Etenim sapientibus notum est aliud esse corpus et aliud corporeitatem eius qui in corpore incorporatur, quemadmodum aliud est vestis et aliud vestitus, aliud arma et aliud armatus, aliud forma Dei et aliud forma [p. 110.] servi, *aliud qui habitat et aliud ille in quo habitat, aliud Deus et aliud homo secundum naturam et hypostasim. Dictum

[1] Luc., i, 35.

est *Deum Verbum* manifestatum esse in carne, et Scripturae docent eum factum esse in similitudinem hominum, sed non factum esse hominem secundum naturam, nec passum esse secundum naturam. Si enim Deus Verbum cum corpore suo esset una natura et una hypostasis, tunc etiam Trinitas esset una natura cum corpore eius. Verum non ita, o iniqui, non ita. Sed forma Dei est una de hypostasibus Trinitatis, et forma servi est una de hypostasibus humanis: sunt vero per unionem unus Dominus Iesus Christus, Filius Dei, secundum personam, non autem secundum naturam nec secundum hypostasim; quia si divinitas et humanitas essent naturaliter una natura, etiam Trinitas et omnes homines una natura essent: quae blasphemia sit super caput vestrum, o Theopaschitae. Scripturae sacrae et omnes orthodoxi in spiritu loquentes testantur quod unio est, non naturalis, sed personalis, servatis naturis in proprietatibus suis, et quod homo Domini nostri formatus est et delineatus secundum ordinem suum, etsi unio ei facta est ab initio formationis ipsius. Et *docent* quod, corpore delineato et membris coagmentato, deinde anima in illo creatur, et tunc vocatur homo, quia corpus et anima, non autem caro et anima, vocantur homo, et caro est pars corporis, non corpus ordinatum in membris suis. Quomodo, o deceptores, cum corpus, quod est domus animae, nondum aedificatum est et perfectum, anima posset statim in eo habitare hypostatice? Nam ecce videmus quod, simul ac corrumpuntur pauca membra eius praecipua, cor, dico, aut cerebrum, anima statim discedit, sive corpus adhuc sit in utero, sive postquam natum sit, et anima nullo modo *potest in eo habitare sine completione membrorum eius p. 111.
praecipuorum. Etenim ita creata est in eo a creatore eius ut per unionem cordis et cerebri cum ceteris membris, quae illis inserviunt, habeat quod in eo unitive servetur: et, his corruptis, ab eo discedit.

Sed afferamus in correptionem stultorum Theopaschitarum argumentum perspicuum ex eis quae facta sunt apud Adam, patrem natorum. Postquam Deus dixit: « Faciamus hominem in imaginem nostram et secundum similitudinem nostram [1] », et: « Formavit Dominus Deus *Adam* pulverem de terra et

[1] *Gen.*, I, 26.

inspiravit in faciem eius spiraculum vitae [1] ». Scriptura nobis exposuit illum primum in omnibus membris suis formatum et corporatum fuisse, et deinde exposuit creationem animae in eo; ex facie enim, tanquam ex parte, totum corpus, in quo facies est, designavit, quia si non est corpus, non est facies quae est vultus in quo sunt omnes sensus sensibilitatis. Et ibi, apud Adam, cum assumptione pulveris fuit formatio eius, etsi anima necdum in eum inspirata fuerit, quia iam pulvis non erat simplex, sed cum formatione sua honoratus est effigie Dei. Etenim res perficiebatur ad disciplinam et scientiam angelorum qui, cum oculis suis vidissent corpus membris coagmentatum et formatum coram se, sed iacens et deiectum sine vita et anima et carens vitalitate et sensibilitate, et deinde, anima in illud inspirata, vidissent vivum et animatum, et subito recte stans modo mirabili, et incipiens laudare factorem suum ad instar illorum puerorum et iuvenum cum eadem admiratione stupenda et ineffabili, et etiam loquens sicut ipsos, quamvis a nemine edoctum, tunc intellexerunt quod Deus, qui in Adam inspiravit et creavit animam, quae in ratione sua possidet omnia ipsorum praeter corpus, etiam ipsis creavit vitam ratio-
p. 112. nalem ex nihilo. Simili modo homo eius *perfectus est imagine creatoris sui in duabus partibus suis in unam hypostasim, *id est*, hominem, qui est vinculum totius creationis visibilium et spiritalium. Et non dicimus unam ex partibus eius, etsi nondum unitam sociae suae, non esse imaginem Dei, nam pulvis formatus iam non dicebatur pulvis, sicut ante formationem suam, sed initium imaginis Dei, et postquam perfectus est, est imago Dei, et non dicimus hoc corpus adameum non esse honoratum imagine repraesentativa, etsi nondum perfectum erat altera parte quae est anima.

Ita nos debemus sentire et intellegere de hac repraesentatione vera huius imaginis propriae, quae est forma creatoris sui, qui est verum exemplar in ea unitive habitans. Deus enim Adam in honorem dedit imaginem suam ut in eo agnosceretur creator omnium visibilium et spiritalium. Deus autem non sumpsit ad personam suam hypostasim Adam, ut in ea per unionem habitaret eamque faceret secum unam personam in

[1] *Gen.*, II, 7.

una adoratione ab omnibus *praestanda,* sicut factum est apud hominem unitum Domini nostri. Quapropter maior et sublimior est assumptio et formatio hominis Domini nostri quam Adam, quia hic sumptus est de terra inanimata et insensibili: hic vero, *apud hominem Domini,* res est magna et stupenda et adorabilis. Deus Verbum enim, cum voluntate Patris sui et Spiritus sancti, ut supra diximus, ad personam suam et revelationem suam et habitaculum suum unitum sumpsit *hominem* de natura beatae Mariae, quae est terra vivens et Virgo sancta et immaculata, numquam arata nec seminata cultura naturali, quemadmodum neque terra, de qua Adam sumptus est, violata fuerat vomere aratri. Et *ille homo,* in initio formationis suae, fuit vera imago a Spiritu sancto efformata. Et quemadmodum Adam, ab initio formationis suae, imagine divina *honoratus p. 113. est, sic et homo Domini nostri honoratus est cum Deo Verbo unitive, in una persona filiationis et in imagine invisibilitatis eius in qua *Deus* infinite habitat et in aeternum.

Sed exemplum amplius revolvamus. Quemadmodum Adam, in initio formationis suae, imagine *divina* honoratus est, et a toto reliquo limo terrae segregatus est, ita factum est in initio assumptionis hominis Domini nostri, et conceptus eius non est communis sicut ceterorum puerorum, sed sublimis propter honorem suum adorabilem et etiam propter Virginem de qua sumptus est. Etenim quamvis non incorporatus fuerit, nec delineatus, nec anima rationali et intellegenti informatus, iam tamen erat habitaculum et templum divinitatis quae eum ad personam suam assumpsit. Et honoratus est unitive ordine filiationis cum illo qui in eo per unionem habitat, et, dum *Deus Verbum* in eo iam habitat et *cum eo* unitus est, aedificatur, et incorporatur, et delineatur, et anima in eo creatur ab illo qui prius coniunctus erat carni, quia ille *homo* non *prius* constitutus est et deinde Deus Verbum in eo habitavit, sed cum initio formationis eius fuit inhabitatio eius. Etsi enim Spiritus eum formavit, Deus Verbum tamen, qui cum eo coniunctus est, procul ab eo non erat nec Pater qui in eo sibi complacuit ut is sit dilectus cum Filio eius naturali in una persona; quia una est natura infinita Patris et Filii et Spiritus sancti, et una virtus unaque voluntas, quamvis Spiritus formet, et Filius unitive habitet, et Pater sibi complaceat.

Et quemdmodum ipse, Deo Verbo ipsi unito, proficiebat statura sua et sapientia sua et gratia, et etiam baptizatus est, et accepit arrham immortalitatis, et passus est, et sepultus est, et resurrexit, et in resurrectione sua recepit vitam immortalem et immutabilem quam ab initio formationis suae, donec p. 114. passionibus perficeretur, non habuit, dictum est enim: « *Animale et demum spiritale [1] » ad immortalitatem: sed eam denique accepit in hypostasi sua humana, dum divinitas in eo erat ab initio formationis eius, sicut dixi, et in corpore suo non possidebat immortalitatem, et in anima sua non habebat immutabilitatem et impassibilitatem cum corpore suo, sed post resurrectionem ea habuit et induit incorruptibilitatem et immortalitatem et immutabilitatem: et non dicimus unionem Deo Verbo bis factam esse, primum cum corpore mortali animaque mutabili et iterum cum corpore immortali animaque immutabili, sed *unam eandemque*, siquidem *Deus Verbum* in eo erat et cum eo unitus erat et in eo habitabat inseparabiliter in aeternum: — ita etiam, cum corpus dominicum erat absque anima per quadraginta dies, et Deus Verbum in eo habitabat unitive ab initio formationis eius, simili modo, postquam anima in eo creata est a Deo, qui in eo erat, et corpus vivens factum est in animam viventem, non dicimus Deum Verbum secunda vice *unitum esse* corpori in quod anima inspirata est; nam ecce eadem divinitas, corpori unita, in eo animam creavit. Anima enim non ab extra intravit et habitavit in corpore, quia in eo creata est sicut in omnibus ceteris hominibus: neque Deus Verbum ab extra intravit ut habitaret in anima, nam ecce ipse est natura infinita, et caelum et terram implet, et in corpore suo unitive habitat propter infinitatem naturae suae in una adhaesione. Neque dicimus animam eius *prius* creatam esse et deinde inspiratam et unitam, quemadmodum non dicimus corpus *prius* formatum esse et deinde unitum; sed cum initio formationis *corporis* fuit unio, et ita cum creatione animae est eadem unio; et una est unio corpori p. 115. et eadem unio animae *quae est in corpore, nam *corpus* primum unitum est et deinde anima in illud inspirata est.

Rursus, alio modo. Quemadmodum *homo Domini*, ante

[1] I *Cor.*, xv, 46.

resurrectionem. vitam immortalem et immutabilem non possidebat dum Deus Verbum unitus erat mortalitati et mutabilitati eius, sed dum *Deus Verbum* prius unitus erat mortalitati eius, eadem est unio, et homo eius adeptus est immortalitatem et immutabilitatem et factus est in spiritum vivificantem, sicut dictum est: « Animale et demum spiritale[1] ». — ita et quidem ab initio formationis corporis est unio, et etiam post quadraginta dies, cum anima in illud inspirata est, eadem est unio; sed una est persona unionis in una filiatione et imagine invisibilitatis et in aeternum.

Rursus, alio modo et alio argumento. Quemadmodum unio quidem animae et corporis tempore mortis soluta est, et corpus, anima in eo non exsistente, positum est in sepulcro, et anima, corpore cum ea non exsistente, evolavit ad paradisum, unio autem Dei Verbi et humanitatis eius non soluta est, sed *Deus Verbum* unitus erat corpori in sepulcro dum anima in eo non esset, et unitus erat animae a corpore separatae, sicut dictum est: « Non derelicta est anima eius in inferno neque corpus eius vidit corruptionem[2] », et, postquam anima rediit et intravit in corpus tempore resurrectionis, unione ibi *iterum* exsistente, Deus enim infinitus est, non dicimus unionem secunda vice factam esse Deo propter reditum animae in corpus per resurrectionem, sed eandem esse unionem sine discessione, sine variatione, sine mutatione, — ita Deus Verbum unitus erat corpori humanitatis suae ante creationem animae in eo post quadraginta dies, et, post creationem animae in corpore a Deo qui in eo erat, eadem est unio *quae praecesserat: nec p. 116.
unio bis facta est, sed una est unio corporis ante animam et animae postquam creata est.

Rursus, alio modo per exempla ex natura *creata*. Sicut prius accendis ignem in materia parva, et adiicis successive materias diversas inter se dissimiles, non autem in tota materia ignem accendis, nam ecce ignis in hac prima materia semel ardere incepit, ita et hic. Assumptio carnis fuit ex beata Maria, et *homo Domini* sine concubitu conceptus est, et per Spiritum sanctum formatus et delineatus est secundum naturam suam humanam; et una cum initio formationis eius fuit assumptio

[1] I *Cor.*, XV, 46. — [2] *Act.*, II, 27.

eius et unio eius et honor et nomen filiationis, et factus est per unionem cum Deo Verbo unus Filius Altissimi. Et statim ac Spiritus illum formare incepit, Deo Verbo unito cum templo suo quod iam formatur, incepit beata Maria naturaliter dare materiam naturalem, similem carni et semini generis assumpti, quae *materia* erat ex natura Virginis, per propaginem autem e genere Abrahami et Davidis secundum promissiones ad eos factas: « In semine tuo benedicentur omnes gentes [1] »; et ad David dixit: « De fructibus ventris tui ponam super sedem tuam [2] ». Et ecce benedictio impleta est in Christo qui secundum carnem est ex beata Maria, nam ex ventre eius sumptus et conceptus est, sicut beatus Paulus exponit: « Non dictum est: Seminibus tuis, quasi multis, sed: Semini tuo, quasi uni qui est Christus [3] ». Verumtamen, etsi quantitas adiiciebatur assumptioni parvae quae sumpta est et unita, non alia tamen unio facta est quantitati quae incrementum accipiebat secundum coagmentationem membrorum et delineationem et formationem *corporis*, praeter illam primam unionem ab initio
p. 117. *assumptionis factam. Ita et postquam corpus secundum ordinem suum naturalem figuram humanam accepit, expletis quadraginta diebus, anima in eo creata est, divinitate unita corpori, et unio eadem est, nec secunda vice facta est iuxta argumenta priora. Quod testantur dies purificationis naturalis, sicut scriptum est in lege Moysis, in qua videtur argumentum exactum et perspicuum et indubium quod anima, post quadraginta dies, inspiratur et creatur in corpore. Sed primum afferamus illa secreta quae creator in natura posuit. Quia corpus per quadraginta dies est sine anima in utero materno, et crescit sicut plantae, et ad incrementum eius additur quantitas ex materia naturali matris, et, propter infirmitatem et debilitatem quam fetus habet ex frigiditate, quia privatum est anima quae illud vivificet et moveat, ibi fit superfluitas quae sine fluxu manet propter opercula fetus quia clausi sunt exitus; deinde, post inspirationem animae, copiose advenit materia iuxta ordinem suum qua substantia infantis possit nutriri si sanus sit et non habeat infirmitatem. Demum, postquam *fetus* figuram humanam accepit, et anima in eum inspirata est, et ipse venit ad nativitatem,

[1] *Gen.*, XXII, 18. — [2] *Ps.*, CXXXI, 11. — [3] *Gal.*, III, 16.

superfluitas, ibi per quadraginta dies collecta — nam et ibi non inutilis erat sed infanti pro lecto molli erat — *eiicitur*. Hinc, postquam natus est infans, natura incipit hanc superfluitatem sanguinis, ibi ante inspirationem animae collectam, expellere, et evacuat *illam* iuxta mensuram primam, *id est, quadraginta dies*, et purificatur expletis quadraginta diebus: et in hac *superfluitate* non est unio. Hanc rem parturientes solum cognoscunt, et discunt per experientiam, et *sciunt* quomodo *hoc sit* apud illam quae mares et illam quae feminas parit: et sunt etiam medici qui de his rebus scripserunt. Veruntamen hoc clare cognoscitur ex Scriptura et praecepto *legali de purificatione quod per beatum Moysen datum est. p. 118.
Sic enim scriptum est: « Mulier, cum conceperit et pepererit masculum, immunda erit septem diebus; iuxta dies menstrui sui erit immunda. Et die octavo circumcident carnem praeputii eius, *masculi*: et triginta tribus diebus manebit super sanguinem purum [1] », etc. Et: « Cum impleti fuerint dies purificationis suae, afferet agnum anniculum in holocaustum, et turturem et pullum columbae pro peccato ad ostium tabernaculi ad sacerdotem. Et sacerdos adducet illum coram Domino, et orabit pro ea et purgabitur a fluxu sanguinis. Haec est lex parientis masculum. Quod si non habeat facultatem afferendi agnum, accipiet duos turtures aut duos pullos columbae, unum pro peccato et alterum pro holocausto pacifico; orabitque pro ea sacerdos et purgabitur [2] ». Ita haec eadem facta esse et peracta in nativitate Christi Domini nostri secundum carnem, iuxta ordinem naturalem apud omnes infantes et genitrices eorum, scribit beatus Lucas evangelista cui, prae ceteris evangelistis, cura fuit de humanis proprietatibus Domini nostri sicut et beato Iohanni de divinis, prout ambo a Spiritu sancto moti sunt ut ille magis de humanitate eius, hic autem de divinitate eius magis scriberet, ne fieret error per duas sectas malas sicut etiam factum est per eos qui negant divinitatem eius et eos qui negant humanitatem eius unitam. Dicit enim beatus Lucas, postquam scripsit: « Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies eius ut pareret, et peperit filium suum primogenitum [3] », observato in serie convenienti toto ordine natu-

[1] *Lev.*, XII, 2-4. — [2] *Lev.*, XII, 6-8. — [3] Luc., II, 6-7.

rali quem habebat homo Domini nostri, *ea quae* post alia subiungit: « Cum impleti sunt dies ut circumcideretur puer, p. 119. vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est *ab angelo priusquam in utero conciperetur. Et cum impleti essent dies purificationis eorum secundum legem Moysis, tulerunt eum in Ierusalem ut sisterent eum coram Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculum, aperiens vulvam, sanctum Domini erit, et ut darent hostiam sicut scriptum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbae [1] », ut beatus Lucas per haec omnia nobis ostenderet quod, hoc excepto quod homo Domini nostri sine concubitu formatus est, natura tamen eius humana ordinem suum servavit in conceptione, et in nativitate, et in purificatione mystica, et in omnibus suis, iuxta legem naturalem naturae inditam, et iuxta illam quae scripto data est pueritiae [2]. Et *ille homo*, post adimpletionem rerum veterum, quae in seipso cum omni oboedientia perfecit, tunc ad res novas Novi Testamenti accessit, quia ipse est perfectio et completio et consummatio sacramentorum et allegoriarum et umbrarum per corporeitatem suam quae est veritas, quemadmodum dictum est: « In ipso habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter [3] »; et: « Plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet [4] ».

Veruntamen decet nos iterum in fornacem secreto insufflare, quo melius purificetur aurum in pulchritudine sua et detegatur fraus haeretica et aenea haereticorum qui pleni sunt omnibus impietatibus blasphemiae. Et revocemus illa, quae nuntii sunt, ad regem qui est Rex regum, et illa, quae prophetae sunt, ad eius dominum et missorem de quo in proximitate prophetabat — nam ecce in nuntio tanquam in umbra et via significata sunt et figurata omnia domini eius, — ut complanemus viam, eius instar, et auferamus offendicula e conspectu caecorum, si velint. Quemadmodum igitur beatus Iohannes Baptista a ventre matris suae gratiam Spiritus sancti accepit in prophetiam et legationem, implevit tamen secundum naturam suam humanam dies conceptionis suae et nativitatis suae et educap. 120. tionis suae, et profecit secundum tempora naturalia *sicut omnes infantes, et etiam a Spiritu, qui in eo erat, confortatus

[1] Luc., II, 21-24. [2] Id est, Iudaismo. — [3] *Col.*, II, 9. — [4] *Eph.*, I, 23.

est, sicut dictum est: « Puer crescebat et confortabatur a Spiritu[1] », etc., dum nihil amplius additum est quantum ad gratiam Spiritus sancti et prophetiam et legationem, quia iam a ventre matris suae acceperat virtutem et gratiam prophetiae et legationis ab eo qui ab utero in templo suo unitive habitabat, ita et hic *intellegamus* tanquam ex similitudine lampadis ad solem inscrutabilem et mirabilem et gloriosum in maiestate sua sublimi. Etenim ab initio formationis hominis Domini nostri fuit assumptio eius et unio eius et vera adhaesio quae numquam solvetur, et honor filiationis in una persona Christi, Filii Dei, servatis naturis sine confusione. Et deinde homo Domini nostri, secundum ordinem omnium infantium, delineatus est et perfectus est et natus est post novem menses, et circumcisus est, et profecit statura sua, et confortatus est a Spiritu, qui in eo erat, quemadmodum dictum est de Iohanne, amplectente beato Luca totum ordinem duorum infantium, nuntii *scilicet* et domini quem nuntius praecedit in omnibus suis. Nativitas Iohannis annuntiata est ab angelo Gabriel, et Domini nostri ab angelo Gabriel: Iohannes ex sterili *natus est*, Dominus noster ex virgine; Iohannes nomen accepit ab angelo antequam conciperetur, et Dominus noster ab angelo antequam conciperetur: Iohannes circumcisus est octavo die et nomen eius vocatum est sicut praedictum est, ita et pari modo Dominus noster: « Et cum impleti essent dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam conciperetur[2] ». De Iohanne dixit: « Puer proficiebat et confortabatur a Spiritu[3] », et de Domino nostro idem: « Puer proficiebat et confortabatur a Spiritu, et replebatur sapientia, et gratia Dei *erat cum illo[4] ». De p. 121. Iohanne dictum est: « Venit in via iustitiae[5] », et Dominus noster dixit de seipso: « Sic nos decet implere omnem iustitiam[6] ». Et ita *Scriptura* omnia naturalia et omnes perfectiones, quae sunt apud Dominum nostrum, disposuit sicut ea quae sunt apud Iohannem Baptistam. Etsi homo Domini nostri est in ordine divinitatis secundum honorem propter unionem suam cum Deo Verbo in una filiatione, et natus est absque concu-

[1] Luc., I, 80. — [2] Luc., II, 21. — [3] Luc., I, 80. — [4] Luc., II, 40. — [5] Matth., XXI, 32. — [6] Matth., III, 15.

bitu, attamen omnia cetera impleta sunt et perfecta, dum secundum unionem nihil additum est aut subtractum in aeternum. Immo omnia eius humana ordinem suum servabant; nec naturae confusae sunt, absit! Sed divinitas eius proprietates suas ostendebat et etiam humanitatem eius perficiebat; et humanitas eius propter unionem suam perfecta est passionibus naturae suae, et exaltata est gloria supernaturali, in una adhaesione filiationis et adoratione in aeternum, sicut supra ostendimus.

Rursus, aliud argumentum ad persuasionem puerorum et correptionem litigiosorum. Quemadmodum corpus et anima ab utero coniunguntur una unione, — etsi hic unio est naturalis et coacta et passibilis et finita; hoc enim exemplum est, — verumtamen corpus crescit secundum tempora sua in hac unione, et anima incrementum accipit in sapientia et scientia in hac unione dum nihil additum est quantum ad unionem eorum, ita et nihil additum est unioni illi adorandae quantum ad unionem, sed humanitas eius proficiebat statura et sapientia et gratia, et divinitas, quae in eo erat, promovebat et adducebat eum ad
p. 122. *perfectionem quae ei facta est post resurrectionem in omnibus sublimibus, dum unioni nihil additum est ab initio formationis eius in aeternum.

Rursus, alio modo. Quemadmodum nos christiani ab infantia nostra mystice accipimus gratiam Spiritus sancti in arrham adoptionis filiorum, et proficimus et confortamur etiam fide et scientia et sensibus spiritalibus, dum quoad hanc mysticam filiorum adoptionem nihil nobis in hac vita additum est, ita et ibi unio et honor filiationis fuit ab initio conceptionis in aeternum. Incrementum vero secundum tempora et progressus ad perfectionem et completionem tendebant ad hanc perfectionem quae futura erat post resurrectionem. Et post resurrectionem iam una est beatitudo; rursus non est qui det et qui recipiat, sed una est scientia, una virtus, una potestas, una adoratio humanitatis et divinitatis Christi, in una persona filiationis unitae, cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, in aeternum, sicut dixit beatus Paulus: « Quamvis Filius esset », id est, per unionem suam cum Filio unus Filius, secundum honorem et adorationem, tamen ex timore et passionibus, quas tulit, « didicit oboedientiam, et ita consummatus

factus est omnibus obtemperantibus sibi causa vitae aeternae, et appellatus est a Deo pontifex ad similitudinem Melchisedech [1] ». Ecce vero notum est sapientibus haec ad humanitatem eius unitam, non autem ad divinitatem eius, pertinere. Etenim Deus Verbum sacrificia Deo Patri non offert, nam ecce dixit: « Omnia quae habet Pater mea sunt [2] »; et: « Ego et Pater meus unum sumus [3] ». De humanitate eius autem dictum est: « Nunc ministerium tanto praestantius quam illud accepit Iesus Christus, quanto et praestantius est testamentum *in quo factus est me- p. 123.
diator [4] »; et: « Per Spiritum aeternum obtulit semetipsum immaculatum Deo [5] »; et: « Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, et post mortem eorum iudicium, sic et Christus semel oblatus est et in seipso immolavit peccata multorum [6] ». Ecce igitur beatus Paulus nobis revelavit et explicavit sacerdotium pertinere ad hominem Domini nostri, non ad divinitatem eius: Obtulit semetipsum immaculatum Deo, et: Semel oblatus est, et: In seipso immolavit peccata. Ergo servantur proprietates duarum naturarum, perfecti et perficientis, templi soluti et eius qui illud suscitavit, eius qui semetipsum immaculatum offert et eius cui se offert, id est, formae Dei et formae servi, cum tamen humana eius in divina eius non mutata sunt, nec divina eius in humana eius conversa sunt, sed servatis duabus naturis in hypostasibus suis, natura infinita et natura finita, in una unione sine confusione, in una persona Christi, Filii Dei: ipsi et eius Patri et Spiritui sancto gloria et honor et adoratio et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

Caput undecimum. Quomodo, cum Deus sit in omni loco infinite, dicimus eum habitare in homine suo unitive et peculiariter?

Supra quidem demonstravimus, cum virtute Christi quae adest infirmitati nostrae, quare, cum una sit natura aeterna Trinitatis adorandae et una infinitas et una voluntas et una virtus et potestas et dominatio, dicamus unionem factam esse uni de hypostasibus Trinitatis, id est, Deo Verbo, et explica-

[1] Cf. *Hebr.*, v, 8-10. — [2] Ioh., xvi, 15. — [3] Ioh., x, 30. — [4] *Hebr.*, viii, 6. — [5] *Hebr.*, ix, 14. — [6] *Hebr.*, ix, 27-28.

p. 124. vimus rationem eius sicut didicimus ex Patribus sanctis, *qui vestigiis apostolorum institerunt, per testimonia ex Scripturis sanctis, et *ostendimus* etiam per argumenta ex natura *creata* hanc unionem esse possibilem. Nunc vero dicemus, secundum mentem Scripturarum sanctarum et ex traditione Patrum orthodoxorum, cum virtute Christi, in quo est spes nostra et fiducia nostra, qui est magister noster in omnibus nostris, quomodo Deus Verbum, cum in omni loco sit per infinitatem suam sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, fecerit habitationem suam et unionem suam unice, peculiariter, et unitive, in natura sua humana in aeternum, in una persona filiationis. Quamvis enim de natura divina dictum est illud: « Caelum et terra plena sunt ea nec eam continent [1] », et illud [2]: « Ad quem respiciam et in quo habitabo? », *natura divina* tamen, propter amorem suum et curam suam erga illos qui ea digni sunt, et propter caritatem eorum et familiaritatem eorum specialem cum ea, dicitur in eis habitare et manere per providentiam suam praestantiorem. Et quemadmodum, dum hic sol super omnes expanditur, ii, quorum visus mundus est, magis eo laetantur, et ipse in corpore polito et nitido lumen suum melius ostendit, cum tamen naturaliter non recedat nec accedat ad hos et illos, ita et Deus, per infinitatem suam, in omnibus est, sed praesens est ad gaudium eorum qui eum in veritate invocant [3]. Et ii, qui mundi sunt corde suo, revelationibus secretis scientiae eius gaudent: « Beati qui mundi sunt corde suo, quoniam ipsi Deum videbunt [4] », et: « Ad quem respiciam et in quo habitabo, nisi in miti et humili qui tremet sermonem meum? [5] » Et ad eos, qui ex adverso sunt, dictum est: « Longe est Dominus ab iniquis [6] », et: « Excaecatum est cor eorum ut p. 125. non fulgeat illis lux Evangelii [7] ». Sed ecce *Deus* *naturaliter non recedit nec accedit; et ecce lux scientiae eius, ad instar solis huius, coram omnibus diffunditur. Verumtamen, dum haec ita sunt, quicumque obscuravit cor suum, et excaecavit intellegentiam suam, et obtenebravit iudicium suum per passiones et errorem filii perditionis, verba Spiritus habet ut petras scandali et lapidem offensionis, nam *tales homines* errant et cir-

[1] Cf. Is., vi, 3. — [2] Is., lxvi, 2. — [3] Cf. *Ps.* cxliv, 18. — [4] Matth., v, 8. — [5] Is., lxvi, 2. — [6] *Prov.*, xv, 29. — [7] Cf. II *Cor.*, iv, 4.

cumvagantur huc et illuc tanquam ebrii. Nos vero, pro viribus nostris, auferemus a conspectu eorum offendicula, si velint, et eos semitam vitae amplecti faciemus, *ostendentes* aequalitatem nominum non esse aequalitatem rerum. Nam sicut domus lapidea appellatur templum Dei, et homines appellantur templum Dei: « Vos estis templum Dei [1] », — verumtamen homines excellentiores sunt lapidibus, — ita etiam Deus, dum ubique est, dicitur habitare in caelo, et etiam in Ierusalem, et in templo lapideo, et etiam in hominibus, modis diversis. Non *dicitur* ibi *habitare* secundum limitationem aut abundantiam, sed propter dona praestantia et tabernaculum mysteriorum beatorum. Ita etiam et hic. Deus Verbum quidem est in omni loco per infinitatem essentiae suae sicut Pater et sicut Spiritus sanctus: « In mundo erat et mundus per ipsum factus est [2] »: et Evangelista, post alia quae dixit: « Ad suos venit et sui eum non receperunt [3] », etsi in mundo erat: ipsi autem seipsos luce privaverunt sicut dixit: « Lux in tenebris lucebat et tenebrae eam non comprehenderunt [4] », et: « Qui receperunt eum dignos fecit cognatione, et dedit eis potestatem filios fieri, qui non ex sanguine, neque ex carne, sed ex Deo nati sunt [5] », perrexit ostendere excellentiam et unionem ineffabilem ad *humanitatem eius, et habitationem peculiarem et sublimem, p. 126.
et revelationem eius ineffabilem, et Deum Verbum adeo se demisisse in hac oeconomia adoranda pro salute et renovatione omnium ut ab ignorantibus reputaretur caro et homo tantum et in seipso unitive possideret nomen humanitatis suae per unionem personalem, dicens: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [6] », id est, sumpsit carnem et fecit habitationem in ea, id est, in una de hypostasibus humanitatis nostrae. Et mystice vidimus, per omnia mirabilia quae locutus est et fecit in humanitate sua unita in qua revelatus est, gloriam aeternam quam ab aeterno habebat, *et* ea quae significabant eum esse Unigenitum Patris, plenum gratiae et veritatis quae in omnes per hanc unionem effundit, sicut postea *Evangelista* de eadem persona unionis explicare pergit: « Veritas autem et gratia per Iesum Christum facta sunt [7] ». Donec enim

[1] II *Cor.*, VI, 16. — [2] IOH., I, 10. — [3] IOH., I, 11. — [4] IOH., I, 5. — [5] IOH., I, 12-13. — [6] IOH., I, 14. — [7] IOH., I, 17.

dixit: « Verbum caro factum est ». — quasi diceret: Sumpsit carnem et habitavit in nobis, sicut nobis exponit beatus Paulus: « Forma Dei formam servi sumpsit, et factus est in similitudinem hominum, et habitu inventus est ut homo [1] » etc., — Iohannes Evangelista nomen Christi, quod unionem denotat, nullo modo scripsit, sed ab assumptione et deinceps, ut ostenderet unam nunc esse personam assumentis et assumpti, et hoc apud nullam creaturam unquam exstitisse aut exsistere nisi apud hominem Domini nostri qui est ex semine domus David. Ecce igitur Deus est in omni loco per infinitatem suam, verumtamen unio facta est peculiariter cum una de hypostasibus humanis, quae est humanitas eius, id est, homo Iesus quem ad personam suam sumpsit ut in eo revelaretur; sed non omnibus
p. 127. hominibus unitus est. *Et hoc intellegemus ex verbo beati Pauli, verbum enim uberiori explicatione indiget: « Forma Dei formam servi sumpsit [2] ». Ergo si forma Dei est una de hypostasibus Trinitatis, etiam forma servi est una de hypostasibus humanitatis, id est, homo Iesus unitus. Non dixit: « Seminibus tuis quasi multis, sed: Semini tuo quasi uni, qui est Christus [3] », cuius unctio est unio eius, quemadmodum nos saepe diximus. Et in illo *homine* Deus revelatus est mundo: « Manifestatus est in carne [4] », et ille *homo* est templum eius unitive et peculiariter, etsi *Deus* est in omni loco infinite per essentiam suam. Quapropter *Deus Verbum,* dum est in templo suo unitive et in eo habitat, dicit: « Solvite templum hoc et in tribus diebus ego excitabo illud », quod Evangelista explicat: « Ille autem dicebat de templo corporis sui [5] »; et: « In eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter [6] », et: « In eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae [7] ». Et de illo solo peculiariter dictum est: « Ipse est imago Dei invisibilis [8] », ut demonstraret *Paulus* magnitudinem excellentiae et honoris eius in una dominatione et adoratione. Et propter hanc unionem, peculiariter et tanquam de una persona dictum est: « Ex quibus apparuit in carne, qui est Deus super omnia [9] »; et: « Iesus Christus quidem heri et hodie, ipse et in aeternum [10] »;

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *Philipp.*, II, 7. — [3] *Gal.*, III, 16. — [4] I *Tim.*, III, 16. — [5] Ioh., II, 19, 21. — [6] *Col.*, II, 9. — [7] *Col.*, II, 3. — [8] *Col.*, I, 15. — [9] *Rom.*, IX, 5. — [10] *Hebr.*, XIII, 8.

ut ostenderet *Apostolus* eum non veluti habitationem, nec, sicut alios, *veluti* per potestatem temporaneam, aut per adoptionem filiorum gratiae, sed per unionem et adhaesionem cum Filio aeterno esse unum Filium in aeternum, ita ut cum initio formationis eius fuerit habitatio peculiaris et unita in una adhaesione unius personae Christi, Filii Dei, in una virtute, in una potestate, in una adoratione et in aeternum: « Omnia subiecit sub pedibus eius [1] », *et: « Cum introducit primogenitum in mundum, dicit: Adorent eum in una unione omnes angeli Dei [2] », et: « Coram eo omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur Dominum Iesum Christum esse in gloriam Dei Patris sui [3] ». p. 128.

Ergo, ut summatim dicam, hic cognitum est hanc habitationem non esse simplicem sicut in aliis, sed esse habitationem unitive et peculiariter, quia ab unione et deinceps et in aeternum omnia divina in illo agnoscuntur, in una persona, sicut ignis in rubo et anima in corpore, etsi hic unio sit naturalis et finita, ibi autem personalis, ut supra explicavimus.

Sed afferamus alia exempla ex eis quae ad naturam *creatam* pertinent, quasi ad persuasionem puerorum. Dictum est enim: « Tanquam per speculum videmus in aenigmate [4] ». Itaque pro exemplo accipiamus speculum, quia nomen eius haud alienum est a re de qua disserimus. Speculum quidem, secundum naturam suam, ferro omnino aequale est et nullam exhibet diversitatem quantum ad naturam suam ferream. Ferrum autem, ex natura sua, est nigrum, et obscurum, et asperum, non planum, nec politum. Cum vero artifex peritus partem ferream speculi ex ferro sumpserit, et in fornacem artis suae introduxerit, et a tota scoria conditionis eius terrenae purgaverit, et ei figuram extensam et latam impertierit, et eam reddiderit mundam et politam et nitidam, et rursus posuerit inter ceteras partes ferri ex quibus sumpta est, ubi fulget lux solis et figura sphaerae eius splendidae et ardentis vehementia mirabili et in figuram speculi absque obliquitate emittitur, totus sol omnino fulget in speculum et in totum ferrum reliquarum partium, et etiam in omnia corpora. Quomodo exemplum istud sit hic con-

[1] *Hebr.*, II, 8. — [2] *Hebr.*, I, 6. — [3] *Philipp.*, II, 10-11. — [4] I *Cor.*, XIII, 12.

veniens et mirabile? Nunc, quaeso, considera et valde mirare p. 129. hoc exemplum *de sole et speculo, quod claram similitudinem ostendit, quam aptum sit sermoni nostro. Solis quidem una est natura sine mutatione, et fulget, et illuminat tanquam ex natura sua omnia corpora, et praesens est omnibus per vastam suam expansionem in universo mundo, et aequaliter irradiat speculum et reliquam massam partesque ferri ex quo speculum sumptum est. Veruntamen his ceteris partibus ferri, quia non sunt purae, nec planae, nec politae, nec excultae, nec mundae, nec convenientes, nec aptae, nec rutilae, nec splendentes, nec luce ardentes, non imprimitur figura splendens sphaerae et radii solaris cum fulgore irradianti et inaccessibili. Quoad speculum autem, non obstante quod eiusdem naturae est ac ceterae partes ferri et hae omnes partes una cum speculo aequaliter simul praesentes sunt soli qui eas irradiat, veruntamen ipsum speculum solum propter puritatem suam, et planitiem suam, et munditiem suam, et expolitionem suam, et elegantiam suam, et ornatum suum, et nitorem suum splendentem, in se recipit totam figuram solis unitive omniaque solis, ita ut etiam urat et ex eo ignis accendatur si apta materia admoveatur. Et ecce notum est sapientibus solem cum luce sua nullo modo posse in partes dividi nec separari ab universo per partem speculi: nam ecce speculum eum totum omnino cum omnibus eius accepit, et ecce sol ibi nullo modo circumscriptus est quamvis totus omnino sit in speculo incomprehensibiliter, quia nullo modo est secundum corporeitatem speculi et totus mundus ab eo p. 130. omnino impletur. Attende tibi et considera *quod si essent mille et decem millia speculorum, et terra et maria et omnes regiones eis plena essent, et similia essent huic uni speculo quantum ad expolitionem suam et nitorem suum, possibile esset omnia aequaliter et unumquodque eorum pariter et perfecte in se recipere omnino totum solem et tamen sol in nullo eorum circumscriberetur, sed totus esset in hoc, et totus in illo, et totus in omnibus, et totus supra omnia et ultra omnia, et totus in se toto, nec deficeret nec in aliquo minueretur. Ecce hic, ut supra diximus, non est mixtio, quia distinguuntur duae proprietates lucis et ferri sine confusione; ita non est compositio quia speculum lucem solarem non polluit; similiter non est admixtio nec commixtio quia sol, sicut exemplar suum,

numquam potest ex toto in partes scindi et dividi. Immo neque sol ullo modo mutatus est aut conversus in obscuritatem ferri, nec sumpsit proprietates eius naturales. Speculum vero omnia solis recepit, non in natura sua, sed est per unionem cum sole una lux splendens in una persona (προσώπῳ) solis et speculi.

Ita etiam *res se habet* in hac unione mirabili et prodigiosa et adoranda et ineffabili divinitatis et humanitatis Christi, solis iustitiae, Filii Dei. Propter oeconomiam et dispositionem inscrutabilem, et praescientiam infallibilem et iustitiam in qua non est acceptio personarum, et prout futurum erat ut voluntas libera humanitatis Domini nostri per omnem iustitiam et oboedientiam perfectam in omnibus suis excellentior omnibus fieret: — dictum est enim: « Factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis »; Propter quod *Deus, qui in eo erat, ob hanc humi- p. 131. liationem et iustitiam et oboedientiam, cui nihil aequale est, valde exaltavit illum [1]; et [2]: « Quis ex vobis arguet me de peccato? », et [3]: « Peccatum non fecit nec iniquitas inventa est in labiis eius »; et [4]: « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, et perficiam opus eius »; et [5]: « Tenebrae ignorantiae non comprehenderunt eum »; et [6]: « Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam »; — pro illis et per illa et propter illa, *hic homo Domini,* ab initio formationis suae et in aeternum, unitus est lumini de lumine, quod semper apud Patrem suum erat, et factus est cum eo, in una gloria adoranda, unus sol iustitiae in una filiatione, in una dominatione, in una potestate, in una virtute, in una adoratione; et, ut breviter dicam, in eo habitat omnis plenitudo in aeternum. Et quemadmodum illic sunt duae naturae, solis et speculi, diversae in proprietatibus suis et inconfusae, verumtamen sunt una lux, et una virtus et unus calor, sic etiam in hac unione adoranda duae sunt naturae, divinitatis atque humanitatis, unus vero Filius et unus Christus in una virtute et potestate et dominatione, dum naturae inconfusae sunt in proprietatibus suis nec amiserunt proprietates hypostaseon suarum in hac una persona Christi, Filii Dei, in aeternum. Et quemadmodum, in hoc exemplo speculi, si velis solem cum

[1] *Philipp.*, II, 8-9. — [2] IOH., VIII, 46. — [3] I PETR., II, 22. — [4] IOH., IV, 34. — [5] IOH., I, 5. — [6] IOH., XIV, 30.

omnibus eius videre, cum calore et luce eius, non obstante quod omnia corpora et etiam reliquas partes ferri irradiat, cum tamen non invenies unitum et ostendentem proprietates suas nisi in hoc speculo, sic et simili modo, si velis omnia divina Filii typice cognoscere, non obstante quod infinitus est in divinitate sua et praesens est omnibus sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, attamen non poterit cognosci virtus eius et potestas p. 132. eius *et dominatio eius cum omnibus eius nisi in humanitate eius quam ad personam suam unitive assumpsit, sicut dixit nomine humanitatis suae: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra [1] ». Ita etiam in exemplo margaritae idem invenies, sicut et in aliis quaestionibus diximus. Etenim quamvis sol omnia irradiet, in margarita tamen videtur unio lucis eius, nec in ea videtur umbra. Et rursus, quemadmodum anima cordi unita est, et virtutem suam et operationem suam in toto corpore manifestat, et quemadmodum ignis est in omnibus corporibus sed non venit ad unionem nec ostendit operationem suam nisi in materia sibi convenienti, *sic se habet unio Verbi et hominis.*

Haec vero pauca ex multis naturalibus ad similitudinem imperfectam pro persuasione puerorum hic satis sunt, quia in aliis quaestionibus sermonem nostrum multum protraximus per argumenta naturalia de hac unione adoranda et ineffabili, et *ostendimus* quomodo, dum Deus in omni loco est, omnia divina eius unitive revelata sint tantum in humanitate eius, in una persona, in una unitate huius unius personae unius Domini Iesu Christi, Filii Dei: ipsi et eius Patri et Spiritui sancto sit gloria, et gratiarum actio, et adoratio, et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus tertius.

CAPITA TRACTATUS QUARTI.

Caput duodecimum. De hoc: Unctio dupliciter dicitur de homine Domini nostri.

Caput decimum tertium. De hoc: Idem nomen filiationis dupliciter de eo dicitur.

[1] Matth., xxviii, 18.

Caput decimum quartum. De *iure primogeniturae; quod p. 133. tripliciter ad hominem Domini nostri pertineat.

Caput decimum quintum. De Baptismo; et quonam baptismo baptizatus est Dominus noster?

Caput decimum sextum. De hoc: Etsi dicimus humanitatem Filii per unionem cum Deo Verbo esse Filium, non duos Filios dicimus: nec additio facta est Trinitati propter unionem quae facta est Deo Verbo cum templo humanitatis eius.

Caput decimum septimum. De hoc: Quaenam est differentia inter hypostasim et personam? Et quomodo persona assumitur et permanet, et hypostasis non assumitur?

Caput duodecimum. De hoc: Unctio dupliciter dicitur de homine Domini nostri.

Scriptura quidem testatur unctionem per Spiritum sanctum dupliciter pertinere ad Christum Dominum nostrum. Una unctio consistit in eo quod ipse, ab initio formationis suae per Spiritum sanctum, unctus est ut esset cum Deo Verbo, qui eum ad personam suam assumpsit, unus Filius et Dominus in una adhaesione et unione in aeternum. Etenim cum initio formationis eius fuit assumptio eius et unctio eius et maiestas eius sublimis et adoranda, et Christus fuit unitive ab utero matris suae. Et in nativitate eius cognitum est ipsum esse Christum per unionem, et deinde natum esse, sicut dictum est ad pastores et explicatum est per revelationem ab angelo sancto: « Natus est vobis hodie Salvator qui est Dominus Christus in civitate David [1] ». Ecce igitur angelus sanctus nos docuit et erudivit eum, ab initio formationis suae et assumptionis suae, fuisse Filium unitive per maiestatem adorandam et etiam habuisse unctionem sublimem qua erat unus Filius cum Deo, sicut dictum est ad matrem eius: « Ille qui nasciturus est ex te sanctus est, et Filius Altissimi vocabitur [2] ». Et *Scriptura* explicavit sanctitatem eius esse unctionem eius peculiarem *et sublimem, p. 134. quae ipsi per Spiritum sanctum ad instar olei facta est ut esset cum Deo Verbo, in una adhaesione, unus Filius adorandus in aeternum; nam is est ordo ususque unctionis alicuius, quae

[1] Luc., II, 11. — [2] Luc., I, 35.

quocumque modo fit, ut *unctus* possideat honorem sublimem qui est maior et excellentior natura ipsius. Et propter hanc causam dictum est de eo in prophetia: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis [1] ». Etenim veteres, qui electi erant sive ad sacerdotium, sive ad regnum, sive ad prophetiam, sive ad dispensationem quamcumque, oleo sanctificante uncti erant et segregati a communitate in honorem sublimem; homo autem Domini nostri per Spiritum sanctum unctus est ut adhaereret Deo Verbo et esset cum eo unus Filius. Et unctio fecit eum Filium et Dominum: « Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis [2] », et: « Deus unxit eum Spiritu sancto et virtute [3] ». Et quia ab utero, in initio formationis suae, habuit unctionem suam et deinde natus est, hac de causa Evangelista dixit: « Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham [4] », et: « Generatio Iesu Christi sic erat [5] ». Quapropter in nativitate sua accepit adorationem a Magis in honorem sublimem tanquam regi et domino, quia per unionem est rex et dominus, et etiam templum et habitaculum divinitatis. Et Magi, prout edocti erant, obtulerunt munera diversa cum omni convenientia ad significandum quis sit qui ab ipsis adoratur et honoratur: aurum, tanquam regi qui est rex Christus qui exspectatus erat — nam ecce venit et natus est in Bethlehem secundum revelationes de ipso; — myrrham, quae significat passionem et mortem qua devicturus
p. 135. erat Satanam et peccatum et mortem; et thus, *ad clare demonstrandum eum esse templum adorandum in quo Deus unitive habitat in una adhaesione et in aeternum.

Altera unctio autem ei est, illa nempe quae facta est in Iordane per baptismum eius a Iohanne Baptista, per quam primitias immortalitatis et immutabilitatis accepit ut esset primus in omnibus et primogenitus fratrum multorum in adoptione filiorum per resurrectionem ex mortuis ad redemptionem corporum nostrorum: « Ipse immutabit corpus humilitatis nostrae et faciet illud simile corpori gloriae suae [6] ». « Spiritus sanctus enim descendit in specie columbae et mansit super illum [7] ». Et ille nobis in seipso mystice depinxit rationem vitae novae quae

[1] *Ps.* XLIV, 8. — [2] *Act.*, II, 36. — [3] *Act.*, X, 38. — [4] MATTH., I, 1. — [5] MATTH., I, 18. — [6] *Philipp.*, III, 21. — [7] MATTH., III, 16.

erit post resurrectionem, quia exinde coepit in ratione vitae sublimi et doctrina perfecta nuntiare et docere regnum caelorum, sicut et ipse explicavit hanc unctionem mysticam per baptismum factam qua est primogenitus fratrum multorum: « Traditus est illi liber Isaiae prophetae: et revolvit librum, et invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperes, et misit me sanare contritos corde, et praedicare captivis remissionem », etc. Et postquam legerat, dixit ad audientes: « Hodie impleta est Scriptura ista in auribus vestris: sicut etiam omnes testimonium illi dabant [1] ». Et ecce haec unctio, quae in unione iam ab utero perfecta est, non est ea quae nunc in baptismo consummata est; nam ecce supra ostensum est eum, cum esset Christus, natum esse. Sed haec untio per baptismum erat pignus mysteriorum immortalitatis. Et ille, cum esset in mensura viri perfecti, hanc unctionem accepit, sicut dictum est: « Iesus a Nazareth quem Deus unxit Spiritu sancto et virtute [2] ». Et hac de causa omnes fideles adoratores eius ex baptismo denominantur christiani [3], et per hanc unctionem ipse est caput Ecclesiae et fideles *membra eius: « Qui sanctificavit et qui p. 136. sanctificati sunt, ex uno sunt omnes: propter quod non erubuit eos vocare fratres suos [4] », dum ipse est Dominus omnium; quasi diceret eos esse fratres suos secundum naturam humanam et mysterium adoptionis filiorum in spiritu ad redemptionem corporum eorum. Est vero Dominus propter unionem suam sublimem cum Deo Verbo in una adhaesione, in uno nomine, in una adoratione, per unctionem illam sublimem quam ab utero habuit, quia unctus est ut esset Dominus Christus in una dignitate in aeternum: « Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis [5] ». Per hanc unctionem autem, qua ipse est nobis caput et nos membra eius in spiritu, nos etiam denominamur christiani. Haec unctio ex baptismo, qui nos sanctificavit, non efficit ut simus etiam sicut ille filii Dei et adorandi per unionem cum Deo Verbo, absit! Hoc quidem esset impietas et blasphemia. Ipse enim est Filius unitus et unigenitus cum Deo Verbo, qui eum ad personam suam as-

[1] Luc., IV, 17-22. — [2] *Act.*, X, 38. — [3] Ad lit. « uncti ». — [4] *Hebr.*, II, 11. — [5] *Act.*, II, 36.

sumpsit ut iste esset cum illo unus Filius unigenitus Dei Patris per modum peculiarem et inscrutabilem in una adoratione in aeternum. Per hanc unctionem ex baptismo, qua ipse est caput nostrum et nos membra eius, ipse est nobis primogenitus ex mortuis.

Sed revolvamus sermonem *nostrum* propter oblivionem, et ad illuminationem audientium. Propter hanc unctionem Ecclesia eius nomine Christi denominatur: « Sicut corpus unum est et habet membra multa, ita et Christus [1] ». Similiter, nova generatione, per modum arrhae et tanquam per mysterium, omnes filii Ecclesiae nomen christianorum adepti sunt: « Ipse unxit nos et signavit nos [2], et: « In eo signati estis Spiritu sancto p. 137. qui est pignus *hereditatis nostrae [3] », et: « Vos unctionem habetis a Deo [4] ». Igitur per hanc unctionem ex baptismo sancto, sicut dixi, Christus, qui est in carne, est primogenitus fratrum multorum et pater saeculi futuri. Pater primus enim est pater natorum secundum mortalitatem, et homines etiam habent nomen eius, sed Christus, qui est in carne, est primitiae nostrae et primogenitus ex mortuis. Et propter hanc adhaesionem spiritalem nos vocamur christiani: « Qui adhaeret Domino nostro est unus spiritus cum eo [5] ». Per illam vero unctionem sublimem, ab initio formationis suae Deo Verbo adhaesit, ut esset unitive cum eo unus Filius unigenitus Altissimi; per hanc, sicut dixi, *Christus* est nobis Dominus in ordine divinitatis et adorandus ab omni creatura: verumtamen unus est Christus in utraque *unctione*, et unus est Filius in utraque, non in una eademque. Quapropter verbum hic elucidemus propter haereticos qui per duos malos duces peccaverunt et longe facti sunt a veritate et ab invicem. Pauliani et Photiniani, progenies viperarum iudaicarum, impie dicunt: Ex quo Spiritus sanctus super eum in baptismo descendit, ipse unctionem et filiationem possedit sicut ceteri uncti antiqui, sed per unionem ab utero sibi factam non habet unctionem quae fecit eum Filium et Dominum cum Deo Verbo [6]... quia is divinitatem Filii negat. Ita simili modo peccaverunt etiam ii qui Deum Verbum passioni obnoxium dicunt. Nam et isti spirant

[1] I *Cor.*, XII, 12. — [2] II *Cor.*, I, 21-22. — [3] *Eph.*, I, 13-14. — [4] I Ioh., II, 20. — [5] I *Cor.*, VI, 17. — [6] Aliqua desiderantur?

destructionem per duo capita viperarum. et evomuerunt impietatem suam exitialem per negationem apertam et blasphemiam impiam ut negarent assumptionem capitis generis nostri quod exaltatum est per unionem. Cyrillus enim impius et Ḥanana maledictus, sentina omnium *haereseon, sic impie dixerunt: p. 138. « Christus dicitur quia venit ad mensuras [1] humanas ». et « factus est ex infinito finitus, et cecidit sub mensuram quantitatis ». Hi illorum sunt parentes, et una eademque est negatio manifesta: « Christus est Deus et Deus est Christus, et hae appellationes nihil diversi denotant; quemadmodum nullum est discrimen inter unigenitum et primogenitum, et hae duae appellationes idem significant ». Hi ergo impii omnes palam contra Scripturas sanctas dimicant et se invicem destruunt et perdunt. Veritas autem in Ecclesia sancta servatur: Nomen Christi denotat personam unionis: « Ex eis est Christus secundum carnem, et est Deus super omnia [2] ». Hoc vero nomen denotat etiam illud quo est caput Ecclesiae per baptismum et primogenitus ex mortuis, nam per eum etiam Ecclesia habuit nomen Christianismi, quod est unctio. Ita et illud: unigenitus et primogenitus, una cum appellationibus; et ipsum discrimen dat sensum utriusque appellationis, quemadmodum per ea nobis proposita in virtute ipsius Christi ostendemus; ipsi et eius Patri et Spiritui sancto sit laus et honor et adoratio et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

Caput decimum tertium. De hoc: Idem nomen filiationis dupliciter de eo dicitur.

Simili modo etiam nomen filiationis ad humanitatem Christi dupliciter pertinet.

Unum est illud quo ipse habet honorem in ordine divinitatis, quia est Filius unigenitus cum Deo Verbo a quo assumptus est ut esset cum eo, in uno honore et una adoratione et uno nomine, unus Filius Altissimi in aeternum, sicut dictum est ad matrem eius: « Filius Altissimi vocabitur [3] »; et: « Sic Deus dilexit mundum *ut Filium suum unigenitum daret, ut p. 139.

[1] Eadem vox syriaca significat « ungere » et « metiri ». — [2] *Rom.*, IX, 5. — [3] Luc., I, 35.

omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam [1] »; et : « Qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit in eum iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei [2] ». Sed ecce notum est sapientibus illum non secundum divinitatem suam traditum esse morti, iuxta illud quod dictum est : « Si Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum [3] ». Etenim de humanitate eius hoc dictum est, quia ipse virtute divinitatis, quae in eo erat, Satanam prostravit, et cruci suae peccatum affixit, et morte sua inimicitiam delevit. Et templum eius est quod morte solutum est; et Deus Verbum, qui in illo erat, illud tertio die suscitavit, ut supra ostensum est; et : « Per hominem mors, et per hominem vivificatio mortuorum [4] ». Veruntamen ab unione et deinceps, unum est nomen Filii unigeniti in una adhaesione in aeternum : quod nomen proprie quidem ad divinitatem eius, assumptive autem et per participationem etiam ad humanitatem eius pertinet : « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris sui, ipse enarravit [5] », id est, in humanitate sua nobis revelavit et manifestavit et enarravit omnia mysteria beata et modos magnalium et mirabilium quae sunt cum scientia perfecta, per doctrinam vitae verae.

Rursus ipse est primogenitus fratrum multorum, ut ostensum est, quia factus est primitiae dormientium : « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium et primogenitus ex mortuis, ut sit primus in omnibus; quia in ipso *Deus* voluit omnem plenitudinem habitare, et pacem composuit in sanguine crucis illius per ipsum, sive eorum quae sunt in terra, sive eorum quae sunt in caelo [6] ». In hac filiatione enim nos habemus cum eo participationem, et ipse est primogenitus fratrum multorum et caput Ecclesiae per baptismum propter generationem spiritalem et stabilimentum adoptionis filiorum ad redemptionem corporum nostrorum : « Omnes in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus [7] ». Per illam autem filiationem unitam p. 140. quam habet cum Deo Verbo, qui eum ad personam suam *assumpsit, quia ipse est nobis Dominus et nos servi eius, ipse adorandus est et nos cum omnibus creaturis sumus adoratores

[1] Ioh., iii, 16. — [2] Ioh., iii, 18. — [3] *Rom.*, viii, 32. — [4] I *Cor.*, xv, 21. — [5] Ioh., i, 18. — [6] *Col.*, i, 18-20. — [7] I *Cor.*, xii, 13.

eius, et laudatores propter ordinem divinitatis, quae in eo est in una adoratione et gloria. Et ipse est nobis causa salutis nostrae et vitae nostrae propter oboedientiam suam et humiliationem stupendam : « Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus, qui in eo erat, valde exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est excellentius omnibus nominibus », etsi revera omnia ei nondum subiecta sunt; futurum est enim « ut in nomine Iesu omne genu flectatur in caelo et in terra, et omnis lingua confiteatur quod Dominus Iesus est in gloriam Dei Patris sui [1] ».

Caput decimum quartum. De Iure primogeniturae : quod ad hominem Domini nostri tripliciter pertineat.

Ita etiam nomen iuris primogeniturae tripliciter ad eum pertinet : unum naturale, alterum ex resurrectione, et tertium quia in eo renovata sunt omnia in caelo et in terra.

Illud quidem naturale *ad eum pertinet*, quia est adaperiens vulvam virginalem matris suae : « Et factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies eius ut pareret; et peperit filium *suum* primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesaepio [2] ». Rursus dictum est : « Et cum impleti essent dies purgationis eorum, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent eum coram Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domini vocabitur; et ut darent hostiam, sicut dictum est in lege [3] », etc.

Rursus habet aliud ius primogeniturae, illud nempe quo renovata sunt omnia, sicut dictum est : « Cum gaudio gratias agatis Deo Patri, qui dignos nos fecit parte hereditatis sanctorum in lumine, et eripuit nos de potestate tenebrarum, et adduxit nos in regnum Filii sui dilecti, in quo habemus *redem- p. 141.
ptionem et remissionem peccatorum; qui est imago Dei invisibilis et primogenitus omnium creaturarum [4] ».

Et ipse est nobis hominibus primogenitus peculiariter per resurrectionem, et nos fratres eius sumus per participationem

[1] Cf. *Philipp.*, II, 8-11. — [2] Luc., II, 6-7. — [3] Luc., II, 22-24. — [4] *Col.*, I, 12-15.

adoptionis filiorum ad redemptionem corporum nostrorum, sicut dictum est: « Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium et primogenitus ex mortuis, ut sit primus in omnibus [1] », et sicut explicavit beatus Paulus in Actibus: « Promissionem factam ad patres nostros ecce adimplevit Deus nobis, filiis eorum, resuscitans Iesum sicut scriptum est in psalmo secundo: Filius meus es tu, et ego hodie genui te. Et ita suscitavit eum Deus ex mortuis ut non amplius reversurus sit videre corruptionem, sicut dictum est: Dabo vobis gratiam David fidelem [2] ».

Caput decimum quintum. De Baptismo: et quonam baptismo baptizatus est Dominus noster?

Baptismum, quo baptizatus est Dominus noster in humanitate
p. 142, l. 28. sua, esse eum quo nos christiani baptizamur [3], *quo ipse primus praecessit et factus est primus in omnibus, non autem esse illum quo Iohannes baptizabat, etsi *Christus* ab isto baptizatus est, ex multis cognoscitur. Etenim baptismus Iohannis baptismus poenitentiae erat in remissionem peccatorum, et Dominus
p. 143. noster illo non *indigebat, quia iniquitatem non fecit [4], nec peccatum inventum est sub labiis eius [5]. Sed baptismus, quo baptizatus est et quem inauguravit, est ille quo nos baptizamur et mystice accipimus pignus adoptionis vitae ad redemptionem corporum nostrorum per gratiam Spiritus sancti, et, tanquam in primitiis, immortalitatem et immutabilitatem. Quapropter dicebat Baptista: « Ego a te debeo baptizari [6] », ut diceret: Ego a te debeo mystice accipere etiam arrham immortalitatis et incorruptibilitatis, quam daturus es omnibus propter unionem quam possides cum Deo Verbo, qui in te est, sicut dixit: « Non ad mensuram dedit Deus spiritum: Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius [7] ». Manifestum est haec humanitati Filii, non divinitati eius, convenire; nam omnia, quae

[1] *Col.*, i, 18. — [2] *Act.*, xiii, 32-34. — [3] Hinc in codicibus perturbatus est textus transpositione duorum foliorum; rectum ordinem hic restituimus, qui is est: cod. L, fol. 100, 102, 101, 103, 104, 106, 105, 107. — [4] Cf. Is., liii, 9, — [5] Cf. Malach., ii, 6. — [6] Matth., iii, 14. — [7] Ioh., iii, 34-35.

habent Pater et Spiritus sanctus ab aeterno, ipse etiam habet ab aeterno in divinitate sua; verum ille, qui accepit omnia sublimia, is est qui illa naturaliter non habebat; sed per unionem cum illo, qui eum ad personam suam sumpsit ut in ipso revelaretur, et per dona Spiritus sancti, perfectus est in omnibus: primum tanquam in primitiis, et deinde in resurrectione agnitus est esse in ordine divinitatis, sicut et Scriptura testatur. Pergit enim Evangelista sic dicens: « Cum autem Iesus baptizatus esset, statim ac ascendit de aqua, apertum est caelum; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se; et ecce vox de caelo dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui [1] ».

Quam sceleste autem haeretici multi pluribus modis de his locuti sint, non est mora dicendi. Sunt enim qui dixerint Deum Verbum hypostatice baptizatum esse, sicut hypostatice mortuus est et resurrexit. Hi quidem sunt qui negant *primitias generis p. 144. nostri per unionem exaltatas fuisse et divinitatem passioni obnoxiam dicunt. Et alii, in ignorantia sua blaterantes, Scripturas mendacii et falsitatis arguunt, dicentes: Humanitas Domini nostri nullam virtutem mysticam ad immortalitatem ex baptismo accepit, et nihil amplius huic additum est a tempore quo unio facta est. Et praesertim *hunc errorem tenent p. 111, l. 17. qui impie dicunt unionem naturalem et hypostaticam et necessariam, et irritas faciunt proprietates utriusque naturae, et *dicunt* animam Domini nostri non manifestasse voluntatem suam liberam in hac oboedientia sua humili, — propter quam factus est in exaltatione stupenda et adorabili, sicut Scriptura testatur de iustitia quod non erit cum acceptione personarum, — etsi unio ab utero facta est, ut supra ostensum est. Et filii viperarum decipiunt simplices, *dicentes*: « Ad quid Dominus noster opus habuit baptizari et recipere Spiritum sanctum? nam ecce *Spiritus* in eo erat et ipse iniquitatem non fecit »: quasi illi insipientes in ineptia sua existiment remissionem peccatorum tantum esse sacramentum baptismi, dum non intellexerunt id quod excellentius est, baptismum esse arrham immortalitatis et *immutabilitatis. p. 142. Etsi enim baptismus christianorum peccata adultis remittit, sicut baptismus Iohannis,

[1] Matth., III, 16-17.

gratiam quoque adoptionis filiorum in spiritu ad immortalitatem baptizatis confert: « Et nos qui habemus in nobis primitias spiritus, et exspectamus adoptionem filiorum ad redemptionem corporum nostrorum [1] ». Baptismus enim Domini nostri dat etiam id quod dabat baptismus Iohannis: baptismus autem Iohannis non dabat id quod dabat baptismus Domini nostri; quapropter dixit Iohannes: « Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igne [2] ». Nam ecce etiam pueri ab infantia sua baptizantur, non quidem in remissionem peccatorum, — quomodo enim? ecce non peccaverunt, — sed in adoptionem filiorum ut accipiant primitias Spiritus ad mysterium resurrectionis et redemptionem corporum suorum: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem [3] ». Idcirco Baptista, sicut dixi, de eo praedicaverat: « Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igne [4] ». Baptismus enim Domini nostri ille est quem ipse primus accepit in nativitatem spiritalem et mysterium immortalitatis. Etsi quidem ab utero unio ei facta est cum Deo Verbo, et repletus est Spiritu sancto, qui ad instar olei ei fuit ut Deo Verbo adhaereret, natura tamen in suis naturalibus ordinem suum adhuc servabat in omnibus suis, et divinitas, quae in eo erat, ei conferebat, iuxta progressum aetatis eius, ea quae illum ad perfectionem gradatim adducebant: « Iesus proficiebat statura sua et sapientia sua et gratia apud Deum et
p. 114, l. 6. apud homines [5] », *ait evangelista*, ut ostendat *quod etsi homines fugerit hoc incrementum in statura corporis, et in sapientia animae, et in auxilio et virtute gratiae, tamen apud Deum haec vera sunt et non falsa. « Crescebat et confortabatur a Spiritu [6] ». Si quod « crescebat » in statura sua verum est, etiam quod proficiebat in sapientia sua et gratia non est falsum. Quid enim coegisset Evangelistam ad mentiendum et falso proferendum id quod factum non est? Si, ut dicunt hi insipientes, humanitas Domini nostri post unionem nihil accepit a divinitate, quae in ea erat, sed perfecta erat in omnibus, tunc nec immortalitatem nec immutabilitatem, quarum primitiae baptismus est, in resurrectione accepit. Igitur nec corpus mortale nec animam mutabilem Adami sumpsit, sed naturam diversam,

[1] *Rom.*, VIII, 23. — [2] MATTH., III, 11. — [3] *Rom.*, VI, 4. — [4] MATTH., III, 11. — [5] LUC., II, 52. — [6] LUC., II, 40.

ut sceleste dicunt alii haeretici; aut ea, quae facta sunt, facta sunt per commentum aut per phantasiam ut impie dicit Manes stultus, et falsum inventum est illud: « In omnibus similis nobis factus est absque peccato [1] », *et illud:* « Animale, et demum spiritale [2] ».

Sed quia baptismus Christi idem est quo et nos christiani baptizamur, beatus Paulus dicit nos in similitudine eius surrecturos: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut sicut Iesus Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris sui, ita et nos in vita nova ambulemus [3] »: et: « Si Spiritus eius qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis habitat in vobis, ille qui suscitavit Dominum nostrum Iesum a mortuis vivificabit et *corpora vestra mortua p. 145.
propter Spiritum eius habitantem in vobis [4] ». Ecce enim dictum est: « Post baptismum ductus est in desertum a Spiritu sancto ut tentaretur a diabolo [5] »: et: « Iustificatus est in spiritu [6] »; et: « Etsi mortuus est in infirmitate, surrexit tamen per virtutem Dei [7] ». Ecce si *Christus* ab utero perfectus erat in humanitate sua quoad omnia, et nihil indigebat, quomodo crucifixus est in infirmitate, praesertim cum Deus Verbum in eo unitive habitaret et Spiritus sanctus ad instar olei unctionis in eo esset nec ab eo separatus? Et ad quid timuit et sudavit in agonia, et factus est sudor eius sicut guttulae sanguinis? Et quomodo opus habuit etiam angelo qui accederet ad eum confortandum, sicut corpus eius pane confortatum erat? *Nonne* ut Scriptura nobis ostenderet naturam adameam et debilem, quam Deus Verbum sumpsit, naturaliter debilem fuisse, et ordinem suum servasse, et relictam esse in naturalibus suis, ut *Deus Verbum* agnosceretur vere sumpsisse hominem passibilem et mortalem, qui est ex semine domus Abraham et David, et promissiones non esse falsas, et hunc *hominem* per oboedientiam suam iustificatum esse, et implevisse omnem iustitiam, et passionibus perfectum esse, ut esset immortalis et immutabilis et primogenitus ex mortuis? « Decebat eum, per quem omnia et propter quem omnia, qui filios multos introduxit in gloriam, principem vitae eorum passionibus perfi-

[1] Cf. *Hebr.*, IV, 15. — [2] I *Cor.*, XV, 46. — [3] *Rom.*, VI, 4. — [4] *Rom.*, VIII, 11. — [5] MATTH., IV, 1. — [6] I *Tim.*, III, 16. — [7] II *Cor.*, XIII, 4.

cere [1] ». Etsi enim erat Filius ab utero per unionem suam ad Deum Verbum in una filiatione, tamen, propter passiones, quas tulit, didicit oboedientiam et ita perfectus est, id est, didicit id in quo erat propter oboedientiam suam. Non enim cognovit immortalitatem et immutabilitatem quales essent donec illas in
p. 146. hypostasi sua humana *reapse accepit, quemadmodum passibilia non cognovit donec in eis tentatus est, quia ea non habuit naturaliter et stabiliter, sed per experientiam in seipso accepit : « Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitati nostrae, tentatum autem per omnia sicut nos, absque peccato [2] ». Ergo sine experientia, nec cognitiones quas expertus est didicit et cognovit ; nec falsum est illud : « Proficiebat statura sua et sapientia sua et gratia [3] ». Vera enim sunt omnia quae Scriptura dicit ipsum in hypostasi sua humana pertulisse, non falsa ; absit ! Impietas enim est Scripturas falsum proferre et praecones veritatis mendaces esse.

Sed dicunt insipientes, curantes ut error eorum accipiatur : « Quomodo descendit Spiritus et mansit super illum, quasi privatus esset Spiritu ? Ecce enim per Spiritum formatus est, sicut dixit angelus ad matrem eius ». — *Respondemus :* Quod « descendit Spiritus et mansit super eum » testatur Scriptura [4], et quod « proficiebat et confortabatur a Spiritu [5] », etiam affirmat ; et ex illo : « crescebat statura sua [5] » etiam illud « proficiebat in sapientia sua et gratia [6] » verum invenitur et non falsum. Quod si haec falsa sunt, mentitae sunt Scripturae, quia Scripturae id dicunt. Quod crescebat et etiam accepit Spiritum in baptismo, quod mortalis est in natura sua humana, etiamsi unitus erat, et Deus, qui in eo erat, per passiones perfecit eum, et suscitavit eum ad immortalitatem post tres dies cum esset in sepulcro : et factus est primitiae dormientium : ecce docent
p. 148, l. 4. Scripturae ; *et quod si ille non resurrexit, neque nos resurgemus [7], ecce testatur et signat ipse beatus Paulus, particeps secreti divinitatis.

Sed et illud : « descendit Spiritus », dum in eo erat, elucidabimus per virtutem Christi, doctoris pueritiae nostrae, et secundum testimonium Evangelistarum. Equidem, quamvis unio

[1] *Hebr.*, II, 10. — [2] *Hebr.*, IV, 15. — [3] Luc., II, 40. — [4] Matth., III, 16. — [5] Luc., II, 40. — [6] Luc., II, 52. — [7] Cf. I *Cor.*, XV.

ei facta sit ab utero, et per Spiritum sanctum formatum sit principium vitae nostrae, id est, homo Domini nostri qui est Adam novus, tamen non in initio formationis suae perfectus est in sapientia et immortalitate propter unionem sibi factam cum Deo Verbo qui eum ad personam suam assumpsit ut esset habitaculum divinitatis. Ita enim non dicimus quod homo Domini nostri ab initio formationis suae omnino perfectus est et fuit non indigens sicut post resurrectionem. Quomodo enim? Ecce esurivit, et sitivit, et fatigatus est, et dormivit, et turbatus est, et timuit, et confortatus est, et fuit in dolore animi et corporis, et dixit se tristem esse, et passus est, et mortuus est, et sepultus est, et resurrexit, et pertulit omnia, et tandem perfectus est, ut supra ostensum est. Ita et quod ad habitationem *Spiritus* spectat. Non dicimus Spiritum sanctum fuisse procul ab eo, aut Deum Verbum cum eo non unitum esse, aut Deum Patrem ab eo remotum esse, nam ecce dictum est: « In eo habitat omnis plenitudo [1] ». Per unionem enim Deus Verbum in eo habitat; quantum autem ad naturam, etiam Pater et Spiritus sanctus, quia una est natura infinita: Pater non unitus in Filio *unito, quia de Filio dictum est: Factus est p. 119. caro, id est, carnem sumpsit: et Filius unitus in Patre non unito et in Spiritu sancto non unito; et Spiritus sanctus non unitus in Patre non unito et in Filio unito, quia huic fuit loco olei ab utero et formavit eum; et secundum exempla superiora, una est virtus et potestas et operatio Patris et Filii et Spiritus sancti. Et quia omnia priora in principio Evangelii huius vivificantis sensibiliter facta sunt propter puerilem scientiam, quo magis firmarentur homines de iis quae ad divinitatem spectant, et crederent etiam futuris quorum mysteria iam accepimus, hac de causa Spiritus sanctus visus est in forma columbae descendens et manens super illum qui Spiritu sancto non erat privatus. Rursus, *Spiritus* non desuper descendebat, — infinitus est enim, — sed per illud: « Desuper descendit », *Scriptura voluit* manifestare sublimitatem naturae eius divinae. Ita et propter hoc etiam Pater « desuper » clamavit: *« Hic est Filius p. 146, l. 25. meus [2] », dum Pater in caelo non continetur. Rursus Filius unitus est humanitati suae et in ea habitat, cum tamen in ea

[1] *Col.*, I, 19. — [2] MATTH., III, 17.

non continetur, nam ecce caelum et terra eo plena sunt sicut Patre et sicut Spiritu sancto. Veruntamen hae rationes oeconomiae apud hominem Domini nostri in baptismo factae sunt, ut agnosceretur quod ipse per baptismum accepit tanquam in p. 147. primitiis gratiam Spiritus in arrham *immortalitatis et immutabilitatis. Nec *Spiritus* ab extra intravit, sed in ipso erat propter infinitatem naturae suae, et erat ei loco olei ab utero ut adhaereret Deo Verbo et fieret in omnibus perfectis per resurrectionem; et ex plenitudine eius omnes accipimus. Et quemadmodum, cum surrexit a mortuis et perfectus est in omnibus per unitatem Trinitatis adorandae, non dicimus quod virtus ab extra in eum intravit et eum immortalitate perfecit, sed quod virtus divinitatis, quae in eo erat, ipsum suscitavit et perfecit, sic etiam, cum primitias immortalitatis et immutabilitatis et incorruptibilitatis in baptismo accepit, non dicimus eum has primitias ab extra accepisse, sed a divinitate quae in eo habitabat et in eo est in aeternum. Itaque cum virtutes et miracula patrabat, hoc non reputabatur res simplex aut fortuita: sed per virtutem in baptismo acceptam haec faciebat, sicut ipse dixit: « Si ego in Spiritu Dei eiicio daemonia, [1] » etc. Et etiam testimonium Baptistae confirmatum est: « Ille, super quem videbis Spiritum descendentem et manentem, is est qui baptizabit in Spiritu; et ego vidi et testimonium perhibui hunc esse Filium Dei [2] ». Nos igitur fideles hoc baptismo, quo baptizatus est Dominus noster, baptizamur in nomine Patris qui clamavit: Hic est Filius meus, et in nomine Spiritus qui in forma columbae descendit et mansit super illum, et in nomine Filii qui unitive habitabat in templo suo, quod baptizatur, et roborabat in eo filiationem mysterio immortalitatis, et ex cuius plenitudine omnes accipimus. Et quemadmodum apostoli, per visionem linguarum ignearum, Spiritum ad confirmandos novos fideles acceperunt, et nos hodie eum secreto accipimus, visione non indigentes, quia homines maturi facti sunt in fide et scientia, sic res se habet et in iis quae in baptismo Domini nostri effecta p. 148. sunt. Quamvis *Deus infinitus sit et in omnibus habitet, tamen ut ostenderet sublimitatem suam et etiam distinctionem hypostaseon adorandarum, quae sunt in una essentia et una vir-

[1] Matth., xii, 28. — [2] Ioh., i, 33-34.

tute, hac de causa Pater clamavit et manifestavit *erga Filium unitum, qui habitat in eo qui baptizatur, se complacuisse in illo ut esset Filius unitive, unus Filius cum Filio eius aeterno. Et Spiritus sanctus descendit et mansit super illum quem in omnibus perfecit, id est, aequaliter per virtutem Trinitatis. Ita et nos eodem baptismo baptizamur: « Complantati enim sumus cum illo per baptismum in mortem [1], etc. ». Et quemadmodum dictum est de Deo Verbo: « In mundo erat et mundus per ipsum factus est [2] »: et: « Ad suos venit [3] », id est, venit ad revelationem in oeconomia corporali; « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [4] »: et: « Manifestatus est in carne [5] »: ita et illud quod ad Spiritum sanctum spectat. Quamvis *Spiritus* esset in omni loco et in humanitate Domini nostri cum omnibus suis, per visionem tamen corporeitatis volatilis perfecti, in forma columbae, *descendit et mansit super illum, ut omnes discerent totam sublimitatem huius oeconomiae adorandae in eo perficiendam: « In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [6] », et: « Ex plenitudine eius omnes accepimus [7] ». Quapropter Spiritus in apostolos ex parte descendit per visionem linguarum et divisus est super unumquemque eorum, sed super eum fuit tota perfectio volatilis in forma columbae. Et hoc non obstante quod *homo Domini* erat templum divinitatis ab utero, et unctus fuerat in initio formationis suae ut esset Filius per unionem cum Filio aeterno, tamen, donec in baptismo accepit mysterium immortalitatis, nullam virtutem nullumque signum fecit, ut disceremus nos cum baptismo arrham vitae immortalis et incorruptibilis recipere: « Et abolevit omnem principatum et omnem potestatem, et novissima inimica abolebitur mors [8] », sicut dictum est: « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut sicut surrexit Iesus Christus a mortuis per gloriam Patris sui, ita et nos in vita nova ambulemus [9] ». Quapropter, post baptismum suum, iam coepit in nova conversatione, et prostravit Satanam, et expulit et eiecit daemonia, mundavit leprosos, aperuit *oculos* caecorum, sanavit aegros, suscitavit mortuos, et etiam docebat

p. 149, l. 18. — p. 150.

[1] *Rom.*, VI, 4. — [2] Ioh., I, 10. — [3] Ioh., I, 11. — [4] Ioh., I, 14. — [5] I *Tim.*, III, 16. — [6] *Col.*, II, 9. — [7] Ioh., I, 16. — [8] I *Cor.*, XV, 24, 26. — [9] *Rom.*, VI, 4.

eos futura mundi futuri : « Poenitentiam agite; appropinquavit regnum caelorum [1] »: et erudiebat eos scientiam perfectam divinitatis. *Ita fecit* non quasi non possideret virtutem illa miracula patrandi per unionem sibi factam ab utero, sed illa non fecit donec baptizatus est et accepit mysterium immortalitatis et incorruptibilitatis: quemadmodum etiam nunc virtutem habet suscitandi mortuos, et faciendi resurrectionem, et subiiciendi sibi omnia propter unionem suam cum Deo Verbo, sed p. 151. resurrectionem ad immortalitatem non faciet donec *de caelo revelabitur. Quamvis enim dictum sit : « Cum plenus esset Spiritu sancto, regressus est a Iordane [2] », *hoc dictum est* non quia antea Spiritus sanctus in eo non erat, sed quia hoc tempore a Spiritu, qui in eo erat, per actiones efficienter repletus est gratia ad miracula facienda. Et quemadmodum est Dominus omnium, et omnia nondum subiecta sunt ei, sic possidebat virtutem *faciendi miracula,* sed non faciebat miracula. Rursus, quemadmodum dictum est de beato Petro, postquam Spiritum cum apostolis sociis suis accepit : « Tunc Simon Cephas repletus est Spiritu sancto [3] ». [non quod antea Spiritus sanctus in eo non erat] [4] sed quod Spiritus, qui in eo *iam* erat, ipsum roboravit ad loquendum et contradicendum principibus et sacerdotibus mundi; et item, quemadmodum dictum est de beato Paulo : « Saulus, qui vocatus est Paulus, repletus est Spiritu sancto [5] », dum non dicimus Spiritum sanctum in Paulo *antea* non fuisse, sed *Paulum,* virtute Spiritus sancti, qui in eo erat, motum esse ut caecitatem Elymae mago inferret : ita se habet illud quod de Domino nostro dictum est : « Cum plenus esset Spiritu sancto, regressus est a Iordane », id est, tunc coepit per virtutem Spiritus sancti, qui in eo erat, facere virtutes, et ostendere per modum arrhae et mysterii, tanquam in primitiis, immortalitatem et incorruptibilitatem futurorum bonorum per opera et virtutes quae faciebat, ut manifestaret se omnes renovaturum et vivificaturum. Ecce enim haec sunt quae, ut ipse explicavit, de ipso in prophetia praecesserant, sicut supra ostensum est : « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperes, et misit me sanare contritos corde,

[1] Matth., iii, 2. — [2] Luc., iv, 1. — [3] *Act.*, iv, 8. — [4] Versum huiusmodi hic excidisse suadet contextus. — [5] *Act.*, xiii, 9.

et praedicare captivis remissionem et caecis visum, et consolidare confractos per veniam [1] »: et post alia dicit: « Hodie impleta est Scriptura ista in auribus vestris: et omnes testimonium illi dabant [2] ». Sed ecce non recenter accepit *Spiritum p. 152. quia Spiritum habuit ab utero ad instar olei. ut ostensum est, et per eum confortatus est et repletus gratia, sed accepit hanc unctionem quam Spiritus, qui in eo erat, ipsi dedit per baptismum ut mystice reciperet arrham immortalitatis, nam ipse per Spiritum etiam virtutes et miracula faciebat, et docebat et erudiebat eos in scientia perfecta, et praedicabat in seipso regnum caelorum. Et quemadmodum immortalitatem accepit tanquam in primitiis, sic tanquam in primitiis sanavit naturam humanam quam perfecturus est per resurrectionem.

Haec omnia vero diximus propter Theopaschitas qui negant assumptionem capitis generis nostri, et irritas faciunt proprietates naturae eius, et dicunt eum non implevisse oboedientiam nec iustificatum esse in spiritu, ut scriptum est [3].

Caput decimum sextum. De hoc: Etsi dicimus humanitatem Filii per unionem cum Deo Verbo, esse Filium, non duos Filios dicimus; nec additio facta est Trinitati propter unionem quae facta est Deo Verbo cum templo humanitatis eius.

Si diceremus duos Filios, sicut Theopaschitae qui impie dicunt unionem naturalem et hypostaticam et illi qui negant assumptionem capitis generis nostri ad unionem sublimem nos calumniantur eo quod concedimus proprietates naturarum et *dicimus* hypostases non confusas esse propter unionem, forsan causam haberent nos calumniandi. Si vero confitemur humanitatem unitive habere cum divinitate honorem et nomen filiationis et adorationem, cur nos arguunt quasi duos Filios dicamus? Si enim diceremus duos Filios in una natura et duas personas diversas in hypostasibus suis, et eos esse ex una natura, si ita quidem confiteremur, diceremus duos fratres esse ex natura *Patris, vel potius geminos, etiamsi unus altero p. 153. prior esset quia talis est ordo fraternitatis naturalis. Rursus, si humanitas Domini nostri diceretur filius adoptivus, etiam

[1] Luc., iv, 18-19. — [2] Luc., iv, 21-22. — [3] Cf. I *Tim.*, iii, 16.

ita duo Filii separatim invenirentur, unus Filius naturalis, et alter Filius adoptivus, et hic filiationem adoptivam haberet sicut omnes illi qui per gratiam facti sunt filii secundum cognationem simplicem et honorem, iuxta illud: « Filius meus, primogenitus meus, Israel [1] », et: « Filios enutrivi et exaltavi [2] ». Sed absit! Res non ita se habet; sed per unionem cum Deo Verbo, qui est Filius aeternus Altissimi, humanitas eius facta est cum eo unus Filius Altissimi, quia Deus Verbum illum *hominem* assumpsit ad personam suam eumque sibi adhaerere fecit ut esset cum ipso in uno nomine et honore et una gloria in aeternum, quamvis eo quod uniatur et adhaereat Deo Verbo qui [3] ⌜eum ad personam suam assumpsit [4] . . . . sicut dixi, non est additio nec diminutio. Sed corpus, quod unitum in caelo est, naturaliter humanum est; assumptive vero, per illapsum Spiritus sancti, etiam panis ille consecratus est unum corpus, et unum est corpus, et una virtus et propitiatio, et non sunt duo corpora: nec additio facta est naturae corporis dominici quod est in caelo, sed per unionem hic est cum illo unum corpus. Ita et hic. Proprie quidem filiatio et dominatio et virtus et potestas ad Deum Verbum pertinent ab aeterno et naturaliter; per unionem vero, in una adhaesione, pertinent etiam ad humanitatem eius
p. 154. cum eo in una filiatione, in una virtute, in una potestate, *in una dominatione et adoratione cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, in aeternum.

Sed iterum revolvamus sermonem propter litigiosos. Quemadmodum ibi corpus dominicum, quod est in caelo unitive, nullam additionem recepit ex hoc corpore, quod cotidie super altare frangitur, sed idem est in uno corpore in duabus naturis, sic neque additio facta est Trinitati propter unionem factam inter humanitatem et divinitatem, sicut non sunt duo Filii, sed unus Filius in aeternum, quia *Verbum* illum *hominem* ad personam suam sumpsit ut in eo revelaretur; et una est persona (πρόσωπον) filiationis, non duae, sicut una est persona (πρόσωπον) corporis Christi et panis sanctificati. Non sunt

[1] *Ex.*, IV, 22. — [2] Is., I, 2. — [3] Hic explicit fol. 109 v°; postea deest folium, secundum nempe fasciculi duodecimi codicis L. Perierunt itaque circiter XL versus. — [4] Haec coniectura addita videntur in A.

duo panes nec duo corpora: sed corpus est panis et panis est corpus. unum corpus et unus panis. servatis pane et corpore. Et *corpus et panis* sua inter se accipiunt et dant: « Ego sum panis qui de caelo descendi [1] »; sed ecce panem sumpsit et fregit. non autem de caelo deduxit. quemadmodum dixit: « Panis. quem ego dabo. corpus meum est quod pro vita mundi frangetur [2] »; et ecce corpus eius est hinc. *id est*, ex natura beatae Mariae. et per Spiritum sanctum formatum est.

Haec vero nomine unionis dicuntur. Ita et idem est de iis quae ad divinitatem et humanitatem eius pertinent: « Cum videritis Filium hominis ascendentem quo erat prius [3] »: et ecce Filius hominis non descendit de caelo. sed est ex semine domus David. In nomine unionis igitur *Verbum et homo* sua inter se dant et accipiunt. Ita et illud: « Si enim illam cognovissent. Dominum gloriae non crucifixissent [4] ». et illud: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret [5] »; non enim *crucifixus est* quantum ad divinitatem suam. sed quantum ad humanitatem suam unitam; *haec* quidem in nomine unionis *dicuntur*. et unus est Filius in utraque. Et ipse est idem Filius hominis. non *secundum naturam sed per unionem: Filius p. 155. secundum naturam est Deus Verbum; per unionem autem etiam humanitas eius est cum eo unus Filius in uno nomine et honore. Sed secundum naturam humanitatis suae est Filius hominis. sicut dixit: « Tradent Filium hominis in manus peccatorum. et occident eum. et tertio die resurget [6] »: et: « Nisi manducaveritis corpus Filii hominis et biberitis eius sanguinem. non habebitis vitam in vobis [7] ». Per assumptionem autem personalem, etiam in divinitate sua unitive vocatus est Filius hominis qui de caelo descendit; non est autem Filius hominis secundum naturam. Quomodo enim Filius hominis de caelo esset? Et quis est homo qui est in caelo cuius hic filius esset? Sed per aequalitatem nominis tantum ille ex hoc nominatur et hic ex illo. utroque in suis manente, in hac una persona Christi. Filii Dei. Dicit enim: « Nisi manducaveritis corpus Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis [8] ». Sed

[1] IOH., VI, 41. — [2] IOH., VI, 52. — [3] IOH., VI, 63. — [4] I *Cor.*, II, 8. — [5] IOH., III, 16. — [6] MATTH., XVII, 21-22. — [7] IOH., VI, 54. — [8] IOH., VI, 54.

ecce non corpus eius naturale, quod est in caelo, manducamus, sed panem, qui est unus panis per virtutem et illapsum *Spiritus*, manducamus; et bibimus vinum eucharisticum quod consecratur cum pane et fit cum eo corpus et sanguis Christi per virtutem et propitiationem et remissionem peccatorum, non autem sanguinem naturalem Christi, nec sanguinem secundum naturam.

Et quemadmodum, in hac unione naturali corporis et animae, *corpus et anima* nomina sua naturalia inter se commutant, v. g. « Per vincula transiit anima eius [1] »: — anima autem non alligatur; — et: « Non revelavi carni et sanguini [2] » — caro autem et sanguis non suscipiunt revelationem; — et *quemadmodum* aliquando nomine utriusque loquimur: Frigeo, caleo, p. 156. sapiens sum, intellego, mortuus est N., filius N., dum *scimus quaenam ad animam et quaenam ad corpus pertineant, ita et de iis quae in hac unione sunt. Dicimus: Christus mortuus est, Filius mortuus est, per Christum et Filium omnia creata et facta sunt, dum intellegimus quae sint humanitatis eius quae mortem passa est et est templum eius unitum, et quae sint divinitatis eius per quem omnia creata et facta sunt, cum naturae proprietates suas unionis causa non amiserint. Etenim Deus Verbum non acquisivit limitationem, nec amisit spiritalitatem suam, nec factus est homo secundum naturam; neque homo eius acquisivit in natura sua aeternitatem et infinitatem, nec factus est spiritus invisibilis, nec factus est Filius consubstantialis Patri, sed est Filius per unionem cum Deo Verbo, in uno nomine, et una dominatione et adoratione et gloria, non autem secundum naturam, ne sint duo Filii aut duo Filii Altissimi, etsi *Verbum et homo* nomina sua sibi invicem tribuunt, sicut dixi. Sed afferamus parvum exemplum etiam de natura *creata*. Quemadmodum lignum, igne indutum, nomen ignis acquirit, et quidam dicit: Educ mihi ignem, — ecce vero ignis non apprehenditur nec egreditur separatus a materia in qua est: nam cum dicimus ignem scimus quod ignis est in ligno aut in aliquo alio, quia ignis non est elementum sicut ille qui Sodomitas [3] et familiam Nadab [4] devoravit; — et rursus *quemadmodum* ignis appellatur nomine materiae, in qua est,

[1] *Ps.* CIV, 18. — [2] *Gal.*, I, 16. — [3] *Gen.*, XIX, 24. — [4] *Lev.*, X, 1-2.

titio aut carbo, v. g. carbones quercus, — ecce vero ignis non est natura quercus, nec titio est ignis, — ita et hic naturae inter se dant et accipiunt, *sed quoad nomina tantum*, non secundum naturam.

Rursus, alio modo. Quemadmodum, cum ignis *ferrum unione p. 157. occupat, servatur natura utriusque nec pereunt proprietates utriusque in unione, — ferrum enim crassitudinem suam corpoream non amisit, nec ignis crassitudinem et conditionem terrenam ferri acquisivit; — quemadmodum etiam nihil additum est quantitati ferri propter unionem ignis cum eo; et ferrum ferit et frangit *aliquid* dum ignis in ipso est, et non dicimus quod ignis frangit; et ignis, qui in ferro est, consumit *aliquid*, et non dicimus quod vis consumendi est ferri aut quod ferrum natura sua consumit, quamvis una sit virtus quam ferrum ex igne habet; et ferrum comminuitur et flectitur et distenditur, et acquirit formam quamcumque dum ignis cum eo unitus est, et non dicimus quod ignis comminuitur aut illas formas acquirit: ita, quamvis Deus Verbum humanitati suae ab utero unitus sit, humanitas eius tamen naturalia sua operabatur, et patiebatur naturaliter; et non dicimus quod divinitas eius cum illo *homine* patiebatur, ne quidem cum, dum *humanitas eius* formaretur et delinearetur, adesset ei in omnibus sublimibus, et ei daret de splendore et decore suo et de gloria sua, et faceret eam participem immortalitatis eamque in omnibus roboraret. Et *Deus Verbum* illum *hominem* fecit secum unum Filium in una virtute et potestate, dum ipsa *divinitas* nihil de passionibus eius sumpsit, sicut ignis nihil sumpsit de nigredine naturali aut de frigiditate ferri. In una quidem virga ignea est una virga, et ignis est in virga per unionem, et una est persona (πρόσωπον) virgae et ignis in una virtute et operatione. Ita et secundum hoc unum exemplum imperfectum divinitas et humanitas Domini nostri sunt in una persona filiationis, in una adhaesione et unione, quia unus est Christus in aeternum.

Rursus, alio modo. Quemadmodum corpus humanum vivit per vitam *animae quae in eo est, et non dicimus hominem esse p. 158. duo animalia, etsi corpus per animam vivit, sed hominem esse unum animal: sic non dicimus duos Filios quia humanitas Filii, per unionem cum eo, habet id quod ad Filium pertinet,

in una virtute et adoratione et dominatione, et non est Filius seorsum secundum naturam, — secus essent duo Filii consubstantiales Patri et Spiritui sancto, ut supra dictum est, — sed est per unionem cum Deo Verbo unus Filius, quemadmodum corpus, per unionem cum anima, vitam possidet, et unum est animal, non duo.

Rursus, alio modo. Quemadmodum corpus unam immortalitatem cum anima in resurrectione habebit, et non dicimus hominem esse duos immortales, sed unum hominem immortalem, etsi anima, etiam ante resurrectionem, immortalitatem possidebat, sic non dicimus duos Filios, unum ante unionem et alterum post unionem, sed dicimus unum esse Filium, et hominem eius adeptum esse filiationem cum eo, in una participatione, non seorsum. Et quemadmodum non dicimus duos homines immortales, quamvis corpus habeat aliquid quod naturaliter non habebat, sic non dicimus duos Filios quamvis homo Domini nostri, non secundum naturam, sed per unionem, habeat filiationem quam naturaliter non habebat, sed habet propter adhaesionem suam cum Deo Verbo. Et sicut mensura et id quod per eam mensuratur, etsi diversa secundum naturam, uno nomine appellantur, ita et hic res eodem modo se habet.

Rursus alio modo. Quemadmodum domus et habitatores eius, et civitas et incolae eius, uno nomine denominantur: « Et aedificavit eam David [1] ». — et non homines aedificavit: — et: « Audite, domus David [2] ». — et non lapides et ligna monet ut audiant: — p. 159. *et: « Aedificavit civitatem [3] »; et: « Combusta est civitas [4] »; et: « Exiit tota civitas [5] »; et: « Tu, Capharnaum, quae usque ad caelum exaltata es, usque ad infernum demergeris [6] », et sic nomine aedificii appellati sunt habitatores eius et etiam nomine incolarum suorum appellata est civitas, v. g. Sichem et Samaria et ceterae, sic homo Domini nostri, id est, templum eius unitum, appellatus est Filius et Dominus; et divinitas eius appellata est Christus et Filius hominis; et unus est Christus, Filius Dei et Filius hominis, in uno nomine, in una virtute, et potestate, et dominatione, in aeternum. Ipsi et eius Patri et Spiritui sancto sit gloria, et honor, et adoratio, et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

[1] Cf. II *Reg.*, VII, 13. — [2] Is., VII, 13. — [3] *Gen.*, IV, 17. — [4] Cf. Is., I, 7. — [5] MATTH., VIII, 34. — [6] LUC., X, 15.

Caput decimum septimum. De hoc: Quaenam est differentia inter hypostasim et personam, et quomodo persona (πρόσωπον) sumitur et permanet, et hypostasis non sumitur?

Hypostasis definitur substantia singularis: subsistit in esse suo unico, una numero, et distincta est a multis non quia una facta est, sed quia interdum recipit apud ea, quae sunt creata, rationalia et libera, accidentia diversa, sive virtutis, sive malitiae, sive scientiae, sive ignorantiae; et apud irrationalia etiam hic recipit varia accidentia, sive per temperamenta contraria, sive quocumque alio modo; quae *accidentia*, ut dixi, non sunt creata nec facta seorsum. Hypostasis quidem fixa est in sua naturalitate, et includitur sub specie et natura, cuius est hypostasis, cum aliis [1] hypostasibus sociis suis, et distinguitur ab hypostasibus sociis suis per proprietatem singularem quam possidet in persona, *v. gr.* Gabrielis, quae non est Michaelis; et Paulus non est Petrus. Veruntamen in singulis hypostasibus tota natura universalis agnoscitur, et ratio cognoscit quaenam sit haec una natura quae hypostases universaliter continet, sive sit natura hominum, sive *rerum ceterarum; hypostasis autem universalitatem non comprehendit. p. 160.

Persona vero est proprietas hypostasis cuiuscumque quae eam ab aliis distinguit, quatenus hypostasis Pauli non est hypostasis Petri, etsi aequales sunt quoad naturam et hypostasim, quatenus uterque corpus et animam habet, et est vivens et rationalis et corporeus; sed alii ab aliis distinguuntur per personam propter singularitatem individuam quam unusquisque possidet, sive aetate, sive figura, sive temperamento, sive sapientia, sive potestate, sive paternitate, sive filiatione, sive sexu masculino, sive sexu femineo, sive quocumque alio modo qui distinguit et manifestat proprietatem individuam et singularem: quatenus hic non est ille, et ille non est hic, etsi aequales sunt quoad naturam, quia proprietas singularis quam possidet haec hypostasis, qua fit ut non sit illa, persona est, quae distinguit qualis sit *hypostasis*.

[1] Ad lit.: numero.

Ascendamus ad ea sublimia de quibus sermonem habemus, per virtutem Christi, principii vitae nostrae et Dei nostri, qui est magister noster. Tres sunt quidem hypostases adorandae Trinitatis aeternae et in omnibus aequalis, in una essentia gloriosa et causa omnium creaturarum. Verumtamen si vis unam ab aliis ratione distinguere, non poteris nisi per proprietatem personarum earum. Nomen Patris enim persona est, cuius hypostasis est ingenita; ex qua Filius ab aeterno genitus est, et distinguitur per personam hypostasis suae, quatenus non est Pater nec Spiritus sanctus, sed ex Patre genitus est ante tempora. Ita et hypostasim Spiritus sancti distinguimus per personam propriam et singularem quam possidet, quatenus est ex Patre ab aeterno, id est, ex natura eius per modum processionis, et quatenus non est Pater nec Filius. Itaque illae *hypostases distinguuntur* per personas distinctas quas in pro-
p. 161. prietatibus suis possident. Hae personae *adorandae dantur et sumuntur; hypostases autem non dantur nec sumuntur, quia haec hypostasis non sumitur ut sit una hypostasis cum alia hypostasi: hoc enim fieri nequit. Sed id, quod stabiliter inest huic uni hypostasi, illud est quo distinguitur eam non esse aliam hypostasim, id est, Patrem non esse Filium, et Filium non esse Spiritum sanctum. Haec ergo nomina, quia personae sunt, non quoad hypostases dantur et sumuntur. Hypostasis vero tantum ostendit hunc non esse illum; — v. gr. cum duo homines procul veniunt, novimus eos esse duas hypostases; sed quis sit ille et quis hic nondum cognoscimus; — non enim proprietatem ipsius hypostasis ostendit secundum personam.

Proprie quidem paternitas ad Patrem aeternum pertinet; assumptive autem hoc nomen datum est etiam aliis, etsi haud semper apud eos manet. Rursus paternitas apud creaturas invenitur secundum duas differentias; est enim aut naturalis secundum generationem naturalem, aut est per disciplinam et doctrinam et gratiam, sicut illud quod a Paulo dictum est: « In Iesu Christo ego vos genui per Evangelium [1] ». Haec vero mutabilia sunt, et tanquam ex natura sua habent ut desinant. Paternitati autem Patris non inest ut mutetur aut desinat. Ita et filiatio naturalis Filii est immutabilis, quia ad eum

[1] I *Cor.*, IV, 15.

pertinet ab aeterno et sine mutatione. Et quemadmodum non paternitas Patris prius postulavit ut sit Filius et deinceps Pater, sed ab aeterno est Pater: ita neque filiatio Filii requirit ut fuerit Pater; sed ab aeterno est Filius, sicut Pater et Spiritus sanctus sunt ab aeterno et in aeternum. Idem est illud quod ad Spiritum sanctum pertinet. Etenim quamvis multi nomine spiritus appellentur, et appellatio et nomina eius aliis per gratiam data sint, sicut dixit *beatus Paulus: « Orabo in spi- p. 162. ritu meo »[1], et: « Ego vobiscum sum in spiritu »[2]; et: « Spiritus sunt ministerii[3] »: et: « Auferes[4] . . . assumptionis personae, et etiam per participationem et nomen; divinitas quoque Christi nomen humanitatis eius accepit: « Cum videritis Filium hominis ascendentem quo erat prius »[5]. Ex parte unionis autem *Deus et homo* sua inter se commutant. Quae sunt divinitatis stabiliter *transferuntur* ad humanitatem assumptive et unitive; et etiam quae sunt humanitatis stabiliter, ad divinitatem *transferuntur* assumptive et unitive. Et una est persona communis absconditi et revelati: « Exspuerunt in faciem eius »[6], et: « Non videbit homo faciem meam et vivet »[7].

Sed accipiamus similitudinem ex unione naturali et hypostatica *animae et corporis*, ut ostensum est supra, *ad demonstrandum* quomodo ratione singulorum, quae sunt in unione, partes huius hominis una cum altera communicantur, et quomodo ratione totius ambae praedicantur. Dictum est enim de beato Ioseph: « Per vincula transiit anima eius »[8]; anima autem non alligatur. Et: « Non revelavi carni et sanguini »[9]; sed ecce caro et sanguis seorsum non recipiunt revelationes intellegibiles. Ita et homo ratione totius suae hypostasis dicit: Molestum mihi est, Ego affligor, Ego cogito, Ego intellego, Ego scio, Ego frigeo, Ego tonsus sum, Me lavi, Bene me habeo: mortuus est talis, occisus est talis, sanatus est talis, et alia huiusmodi: dum scimus quae ad animam pertineant assumptive et quae naturaliter, et quae pertineant ad corpus assumptive et quae *naturaliter, non cum disiunctione, sed cum unione unius p. 163. hominis, etsi hic unio est naturalis, hypostatica, obstricta ac

[1] I *Cor.*, XIV, 15. — [2] *Col.*, II, 5. — [3] *Hebr.*, I, 14. — [4] Hic deest in codice L folium nonum fasciculi duodecimi. — [5] IOH., VI, 63. — [6] MATTH., XXVI, 67. — [7] *Ex.*, XXXIII, 20. — [8] *Ps.* CIV, 18. — [9] *Gal.*, I, 16.

passibilis. Similiter et in hac unione personali, voluntaria, non obstricta, nec passibili, naturae sua invicem communicant; Deus *accipit* quae sunt hominis, et homo quae sunt Dei, in hac una persona. Et quemadmodum naturae in unam personam unitae sunt, unita sunt etiam nomina earum in appellationem eiusdem unius personae; nec separantur *naturae* secundum appellationem et virtutem et potestatem et honorem et dominationem et adorationem, in hac unione unius personae Christi, quae est in una adhaesione divinitatis et humanitatis, sed servantur naturae unitive, sine confusione, in aeternum. Verumtamen haec una persona communis est duarum hypostaseon unitarum, id est, Dei Verbi et templi eius, non autem totius Trinitatis, etsi *hypostases divinae* unum sunt quoad naturam et voluntatem et virtutem et potestatem et dominationem. Etenim Deus Verbum dicitur caro factus, et Deus misit Filium suum in similitudinem carnis; et forma Dei, id est, Deus Verbum, una de hypostasibus Trinitatis, sumpsit formam servi, unam de hypostasibus hominum, hominem Iesum Christum; non autem sumpsit ad personam suam ⌈totam naturam hominum [1] quantum ad naturam, neque omnes hypostases hominum assumptae sunt quantum ad hypostases; etsi non inveniatur natura quae sit sine hypostasi, et sub natura universali comprehendatur. Si enim homo Domini nostri unitus fuisset quoad naturam et non quoad hypostasim singularem, — quae est templum unitum divinitatis, et iustificata est et exaltata est, et adoratur in eo, et ipse ado-
p. 164. ratur in divinitate sua in una adoratione, *Deus in templo suo et templum eius propter Deum Verbum qui in eo habitat unitive, si ita esset [2], — quomodo diceret beatus Paulus: « Non dixit: Seminibus tuis, quasi multis, sed: Semini tuo, quasi uni qui est Christus » [3].

Ergo ii qui dicunt duas naturas in Christo, et non subiungunt etiam duas hypostases in una persona, doctrinam orthodoxam oeconomiae huius adorandae parvi pendunt; quia persona communis est Dei Verbi et templi eius quod est homo secundus et est una de hypostasibus hominum. Et ille qui uni-

[1] Id est, naturam singularem uniuscuiusque hominis. — [2] Codd.: « Si ita non esset ». Quod sermone syriaco defendi potest; i. e., si haec ultima κατάφασις vera non est. — [3] *Gal.*, III, 16.

tus est, est Deus Verbum, una de hypostasibus Trinitatis, in una adhaesione unita duarum naturarum in hypostasibus earum in una filiatione. Non enim omnes hypostases hominum sunt cum Deo Verbo unus Filius unigenitus; nec Pater nec Spiritus sanctus nominati sunt personaliter cum humanitate nostra homo et filius hominis, sed *ita nominatur* Deus Verbum cum templo suo in una unione, in una persona communi. Et nomina eorum inter se communicantur; et idcirco Patres de hac unione dixerunt personam esse naturalem et hypostaticam, ad significandum naturas in hypostasibus suis agnosci in hac una persona Christi, Filii Dei, non autem naturas absque hypostasibus. Et ecce ab unione et deinceps nomina « Christus » et « Filius » duas naturas et duas hypostases in una persona denotant, quia naturae in hypostasibus, quibus subsunt, cognoscuntur, ut supra diximus.

Itaque afferamus etiam parvum exemplum ex natura *creata*, etsi caritas vestra hoc nos non rogaverit, ut *ostendamus* quomodo persona sumatur et detur dum in prototypo suo fixa est, et hypostasis non detur nec sumatur. Affer igitur partem auri naturalis, et in ea incide effigiem regis cum omnibus lineamentis et figuris eius et etiam nomen quod habet; *et hoc sit p. 165.
tibi exemplo pro divinitate Filii, id est, hypostasi Dei Verbi. Sume etiam aliam partem cerae aut luti; redde eam rotundam et aptam, et adiunge *auro* ut imprimas in ea effigiem regiam quae est in illa parte auri. Tunc vides quod lutum sumit totam similitudinem effigiei regiae, quae in auro stabiliter insculpta est, cum omnibus eius, praeter naturam auri — hanc enim lutum unitive sumere nequit — dum effigies, quae in auro est, nullum damnum patitur sicut nihil quantitati naturae luti additum est quantum ad naturam eius; sed lutum possidet personaliter quod non habebat in natura sua, id est, effigiem eximiam regis, et eius decorem et honorem, et omnia eius. Nunc per hoc exemplum conveniens in similitudine exacta intellege, quaeso, quomodo una persona regis sit in duabus hypostasibus auri et luti. Proprie quidem et stabiliter effigies et persona cum tota pulchritudine sua ad hypostasim auri pertinent; assumptive vero et personaliter, etiam ad hypostasim luti. Quapropter si vis videre effigiem regis, quae naturaliter et fixe et proprie ad aurum pertinet et in auro est, ecce eandem videbis in hypo-

stasi Iuti personaliter et assumptive. Simili modo hic etiam per hoc exemplum intellege, quaeso, hanc unionem adorandam et stupendam et ineffabilem, et assumptionem personae in unum coniunctae. Etenim Deus Verbum, in una adhaesione, humanitati suae per participationem dedit dominationem suam, nomen suum, honorem suum, potestatem suam, adorationem suam, et omnia excelsa et ineffabilia, quae in natura sua possidet,
p. 166. praeter suam naturam et hypostasim quae nec dari nec *sumi possunt. Ergo una est persona filiationis et dominationis et ceterarum rerum: quae persona ad Deum Verbum pertinet proprie, fixe et naturaliter, ad humanitatem eius vero assumptive, per unionem et participationem. Et omnia, quae sunt divinitatis eius, in humanitate videntur per operationes in una unione, — non autem cum distantia *naturarum*; nemo obliviscatur verborum nostrorum priorum: ignis in rubo, ignis in ferro, et anima in corpore, — verumtamen nec finite, nec coacte, nec naturaliter, nec hypostatice, sed voluntarie et personaliter. Exemplum autem est hoc, quia nullam habemus similitudinem exactam qua modum unionis huius adorandae demonstrare possimus; nam si similitudinem haberemus, quid nobis opus esset exemplum proferre? Nobis enim necesse non est ostendere quomodo homo in domo habitet, aut quomodo tunicam suam induatur, quia haec videntur et perspicua sunt et exemplo non indigent. Nos quidem didicimus et credidimus et tenemus factam esse unionem duarum naturarum, id est, duarum hypostaseon, formae Dei et formae servi, templi et inhabitatoris eius, in una adhaesione, in uno nomine, in una virtute, in una adoratione, servatis proprietatibus utriusque hypostasis inconfusibiliter, divinitatis scilicet et humanitatis Christi in una persona filiationis, — et haec est vita vera, si mandata dominica servaverint cum recta confessione; — modus autem *unionis* est inscrutabilis et ineffabilis. Nam quomodo infinitus sit in finito, et aeternus cum temporaneo, et ille, quem nemo vidit nec videre potest, qui habitat in luce splendida ad quam nemo potest accedere, ad hanc humiliationem stupendam venerit ut sit, per unam adhaesionem et unionem modi peculiaris, unus Filius cum humanitate sua quae est natura passibilis et creata
p. 167. et facta, quam *ad personam suam assumpsit ut haec cum ipso honoraretur et adoraretur et glorificaretur et possideret omnia

divinitatis praeter naturam eius, quis est qui hoc sicuti est cognoscat? Quomodo posset declarari sicuti est hoc miraculum ineffabile? Hoc est prodigium inscrutabile quod homo sit cum Deo Verbo unus Filius unigenitus Dei in una persona; hoc quidem mysterium non comprehenditur nec declaratur. Quapropter beatus Paulus, hoc miratus, ait: « Vere magnum est hoc sacramentum iustitiae; et divitiae Christi sunt inscrutabiles » [1]. Hae sunt quidem divitiae vere inscrutabiles, quas humanitas Filii per unionem possidet, quod facta sit unus Filius cum Deo Verbo in uno honore et una adoratione in aeternum: « In eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter » [2]; et: « In eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae » [3].

Itaque Scripturae appellant et Patres illustrant et denominant hanc unionem multis nominibus: templo, vestimento, adhaesione, habitatione et unione; sicut et nos haec demonstraturi sumus, in virtute Christi, in his quae nobis proponimus. Quapropter: assumens in assumpto, forma in forma, Deus Verbum in templo suo, vestiens et vestimentum eius, qui revelatus est in eo in quo revelatus est, qui habitavit in eo in quo habitavit, qui perfectus est et ille qui in eo est et perfecit eum, qui exaltatus est et ille qui exaltavit eum ad dexteram suam, qui humiliatus est et minoratus est ab angelis et ille qui coronavit eum gloria secundum retributionem iustitiae: *ita locuti sunt Patres* ut summatim ostenderent duas naturas servari in hypostasibus suis, in hac unione unius personae Christi, Filii Dei, in aeternum.

Rursus adhibeamus *exemplum ex natura *creata* et alio p. 168.
modo, per virtutem Christi, doctoris pueritiae nostrae. Quemadmodum enim homo Domini nostri ea, quae sunt divinitatis, personaliter accepit, nomen filiationis, dico, et honorem, et adorationem, et omnia divinitatis praeter naturam eius, sicut dictum est: « Ipse est imago Dei invisibilis [4] », sic Deus Verbum, qui est in eo unitive, accepit ut in hac unione nominibus humanitatis suae appellaretur. Et quia reputabatur homo propter unionem suam et habitationem suam in templo suo unito dum non revelata erat gloria sua ineffabilis, vocatus est homo et

[1] Cf. *Eph.*, III, 8. — [2] *Col.*, II, 9. — [3] *Col.*, II, 3. — [4] *Col.*, I, 15.

filius hominis, Iesus. Haec ad humanitatem eius pertinent naturaliter, per assumptionem autem personalem etiam ad divinitatem eius pertinent unitive. Et hoc ipsum est quod etiam hic nos ostendamus oportet, *scilicet* quomodo persona humanitatis unitive sumpta sit a Deo, qui in ea est, et hypostasis eius sumpta non sit, sicut dicit beatus Paulus: « Forma Dei formam servi sumpsit [1] ». Hic ergo etiam sume, quaeso, per modum exempli et similitudinis, speculum perpolitum in splendore suo pro Deo, cuius maiestas est ineffabilis, qui sublimior est signo et figura et omnibus formis et similitudinibus quae insunt creaturis: « Deus, quis similis tibi ? [2] » et: « Lumen de lumine » [3]; sed in lumine, in quantum est lumen, non est figura nec imago nec forma, sicut formae corporeae non sunt in illa vita incorporea. Nunc vero hoc speculum, quod est politum et nitidum et lucidum in toto suo circuitu, adhibe ut exemplum hypostasis divinae, id est, Dei Verbi; quia speculum in natura sua polita et ornata et eleganti vacuum est forma et signo et omni figura. Et mente affer adversus hoc speculum
p. 169. hypostasim humanam; videbis quod speculum recepit *personaliter omnes similitudines et lineamenta et figuram personae, quae stabiliter in natura sua possidet haec hypostasis hominis et quae sunt persona eius, et tamen haec hypostasis hominis cum persona sua non sumitur. Hypostasis eius enim stabiliter servatur in natura sua; item per personam distinctam et propriam, quae in ea est, distinguitur ab alia hypostasi, per singularitatem suam quamcumque *qua fit* ut hypostasis Pauli non sit hypostasis Petri, etsi quoad naturam aequales sunt in hypostasibus suis. Haec enim persona hominis, quae est in homine stabiliter, est omnino tota in speculo assumptive. Ecce hic vides similitudinem mirabilem et congruam, quomodo scilicet lux et splendor speculi se abdiderint in adspectu et lineamentis et formis personae humanae quam speculum sumpsit, et nihil additum fuerit naturae speculi ex persona quam sumpsit, et persona concreta hominis, quae sumpta est, nihil amiserit de natura sua et hypostasi sua; sed persona hominis unitur et consociatur qualis se habet stabiliter, pulchritudini et splendori et decori speculi in una persona utriusque. Quod si vis inspi-

[1] *Philipp.*, II, 6-7. — [2] *Ps.* LXX, 19. — [3] *Symb. Nicen.*

cere speculum, in eo recepta est forma et effigies et persona hominis, sicut divinitas formam humanitatis unitive sumpsit; si vis videre hypostasim et personam hominis, ea videbis in homine stabiliter et naturaliter, et in speculo personaliter et assumptive. Et una est persona in duabus naturis speculi et hominis, sicut una est effigies regia in duabus naturis auri et luti in una persona (πρόσωπον), ut supra diximus. Persona regis quidem est in auro stabiliter, sicut filiatio et dominatio ad Deum Verbum naturaliter pertinent; assumptive autem et personaliter est in hypostasi luti, sicut humanitas per unionem accepit nomen excellentius omnibus *nominibus, id est, filia- p. 170.
tionem et dominationem in ordine divinitatis, in unione unius personae Christi, Filii Dei, in aeternum.

Rursus alio modo per similitudinem aliam ex natura *creata*. Quemadmodum anima in proprietate sua naturali non cognoscitur a corporeis sine unione sua cum corpore, neque operationes eius et modi sapientiae eius sub sensum veniunt absque unione cum eo, etiam discit per corpus iuxta naturam suam, quia ita creata est ut per illud discat, et *corpus et anima* membra sunt et instrumenta, unum alterius, quae mutuo subsistunt et patiuntur et operantur; — et haec unio est naturalis et coacta et necessaria, ut supra ostendimus, dum illa unio adoranda est voluntaria et personalis, ut superius in aliis quaestionibus diximus, et *ibi* infinitus est in finito; verumtamen haec *unio* adhibetur in similitudinem per modum exempli, secundum doctrinam Patrum; — quemadmodum enim anima operationem suam in corpore manifestat et sine eo proprietatem suam non ostendit, et homo vocatur unum animal etsi animatio ad animam pertinet, ita et in hac oeconomia adoranda, ab unione quae ab utero facta est et in aeternum, Deus Verbum non appellatur Filius separatim, sed cum humanitate sua unita. Neque divinitas Christi hypostatice a creaturis cognita est, — quia Filius est aeternus in divinitate sua ita ut natus sit ex Patre ab aeterno, et consubstantialis est Spiritui sancto secundum hypostasim sicut ille et sicut hypostasis Patris, et una est natura eorum, et una virtus et adoratio et dominatio et voluntas et potestas, — nisi per hanc oeconomiam adorandam quae facta est in hac unione unius personae Christi, Filii Dei,

sicut dictum est: « In eo habitavit omnis plenitudo [1] »: et: « In eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae [2] »:
p. 171. *et: « Ipse est plenitudo, qui omnia in omnibus adimplet [3] »: quia una est virtus et una est dominatio et unum nomen divinitatis Christi in una adhaesione assumentis et assumpti.

Deus Verbum naturaliter non habet duas personas naturales ita ut sint duo Filii, sicut homo non dicitur duo animalia. Et fieri non potest ut uni hypostasi sint secundum naturam duae personae, iuxta commentum impiorum. Quod vero una persona sit duabus hypostasibus, ecce demonstratum est: sed quod duae personae naturales et hypostaticae sint uni hypostasi naturali hoc impossibile est ita ut hypostasis et persona Dei Verbi sint cum hypostasi et persona hominis una hypostasis. Tres hypostases autem sunt in una natura: in hoc est divinitas; et etiam multi homines sunt una natura. Rursus Christum esse duas naturas et duas hypostases in una persona oeconomiae, hoc est et verum est, sicut demonstratum est. Assumens enim non seorsum ab assumpto, *aut vicissim*, habet filiationem: ita enim duo Filii essent, sed humanitas Filii cum Deo Verbo, qui est Filius aeternus Altissimi, qui eam [4] ad personam suam assumpsit, habet cum eo adhaesionem et participationem in una unione, in uno nomine filiationis, in una adoratione et potestate, cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, in aeternum. Et non sunt duo Filii sicut neque duo Filii hominis in duabus personis: ille, qui appellatus est *Filius hominis* propter unionem et per naturam suam infinitam in caelo erat, et ille qui est ex semine David et Abraham, qui traditus est gentibus, quem despexerunt et crucifixerunt, qui mortuus est in infirmitate et surrexit virtute Dei, qui in eo erat, sicut dictum est: « Tradent Filium homi-
p. 172. nis [5] »; et: « Solvite templum *hoc et in tribus diebus excitabo illud [6] »: sed una est persona Christi, Filii Dei, in divinitate et humanitate sua. Et ipsa est haec una persona, Filius Altissimi, Dominus, Iesus, Unigenitus, Primogenitus, Filius hominis, Christus; et in hac una persona, quae est unus Christus, Filius Dei, agnoscuntur duae naturae et nomina earum in

[1] *Col.*, II, 9. — [2] *Col.*, II, 3. — [3] Cf. *Eph.*, I, 23. — [4] Codd. « eum ». — [5] MATTH., XX, 19. — [6] IOH., II, 19.

proprietatibus hypostaseon suarum: quae *naturae*, dum distinctae sunt, unitae sunt sine confusione; et, dum unitae sunt sine confusione, distinctae sunt in proprietatibus suis in una unione unius personae Christi, Filii Dei, in aeternum.

Itaque sermonem nostrum iterum revolvamus propter contentionem litigiosorum. Nunc ab unione et deinceps, non divinitas absque humanitate Filius est: neque humanitas absque divinitate est separatim homo simplex et non unitus, aut nominatur Christus. Sed in hac una persona *Deus Verbum et homo* sua inter se commutant, et ille est hic et hic est ille, personaliter quidem, nam in hypostasibus suis manent ille et hic, in hac unione adoranda unius personae Christi, Filii Dei. Ergo si dixeris Filium, ipse est haec una persona: si dixeris hominem, ipse est: si dixeris primogenitum, ipse est; si dixeris unigenitum, ipse est: si dixeris Dominum gloriae, ipse est: si dixeris filium David et Abraham, ipse est; si dixeris Filium Altissimi, ipse est: verumtamen non secundum idem. Et quasi summatim, « Iesus Christus, Filius Dei, heri et hodie, ipse est, et in aeternum [1] ». Ipsi et eius Patri et Spiritui sancto laus et honor et adoratio in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus quartus.

*CAPITA TRACTATUS QUINTI. p. 173.

Caput decimum octavum: De Crucifixione Christi; et quod non dicimus eum crucifixum esse et mortuum esse ut hominem simplicem, quasi divinitas eius separata fuerit ab humanitate eius quae cum ipso unita fuit ab utero, quamvis divinitas eius, cum eo unita et in eo habitans, non passa sit.

Caput decimum nonum: De Resurrectione Domini nostri Christi ex mortuis; quo in modo se videndum praebuit; pariter et de Ascensione eius.

[1] *Hebr.*, XIII, 8.

Caput decimum octavum: De Crucifixione Christi: et quod non dicimus eum crucifixum esse et mortuum esse ut hominem simplicem, quasi divinitas eius separata fuerit ab humanitate eius quae cum ipso unita fuit ab utero, quamvis divinitas eius, cum eo unita et in eo habitans, non passa sit.

Etsi quidem dicimus hominem unitum Domini nostri, non divinitatem eius, crucifixum esse, et templum eius solutum esse quod ipse ad vitam immortalem suscitavit, non dicimus habitatorem illius unitum, qui illud post tres dies excitavit et dolores inferni solvit, ab illo separatum esse: « Non derelicta est anima eius in inferno, neque corpus eius vidit corruptionem »[1]. Etenim quamvis homo Domini nostri, tempore passionis, in cruce pendens, clamaverit: « Deus, Deus, quare dereliquisti me? »[2] non dicimus eum derelictum esse ab habitatore suo per separationem, aut unionem illam adorandam solutam esse, absit! sed eo sensu quod *Deus* sivit eum pati propter scopum oeconomiae, ut solveret debitum quod Adam, pater natorum, per inoboedientiam, quae est in transgressione mandati, susceperat. Equidem homo Domini nostri dignus morte non erat, nomine peccati, qua tenebantur Adam et omnes posteri eius, « quia omnes peccaverunt »[3]; sed sicut dictum est: « Eum, qui
p. 174. non noverat peccatum, *pro nobis peccatum fecit, ut nos viveremus iustitia eius »[4]; et: « Venit princeps huius mundi, et in me non habet quidquam »[5]; et: « Princeps autem huius mundi iam iudicatus est »[6]; et: « Ego, cum exaltatus fuero a terra, per victoriam crucis, omnes traham ad meipsum »[7]; et sicut dixit beatus Paulus: « Sicut propter inoboedientiam unius hominis peccatores facti sunt multi, ita et propter oboedientiam unius iusti fient multi »[8]; et: « Factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis »[9]. Non quidem in illis divinitas eius ab eo separata erat, sed unita erat cum ipso in unam personam Christi, Filii Dei, ut supra ostensum est. Et quia ab unione et deinceps appellationes « Filius » et « Christus » persona sunt unionis, et nomen Christi ad humanitatem eius proprie pertinet, et nomen Filii proprie ad divinitatem eius, sicut

[1] *Act.*, II, 31. — [2] Matth., XXVII, 46. — [3] *Rom.*, V, 12. — [4] II *Cor.*, V, 21. — [5] Ioh., XIV, 30. — [6] Ioh., XVI, 11. — [7] Ioh., XII, 32. — [8] *Rom.*, V, 19. — [9] *Philipp.*, II, 8.

supra diximus, ergo eadem haec una persona est Christus et Filius, secundum confessionem Petri qui dixit: « Tu es Christus, Filius Dei vivi » [1]. Quapropter Scripturae dicunt Christum natum esse, et Christum crucifixum esse, et Christum mortuum esse propter peccata nostra, et sepultum esse, et post tres dies surrexisse; et ecce illa ad humanitatem eius pertinent. Et: « Si Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum » [2]. Et: « De Filio suo qui natus est *ei* ex semine domus David » [3]: quia beatus Paulus sciebat *Filium* natum esse ei generatione sublimi in natura sua divina, quae non est ex semine domus David. Quod simile est huic: « Ex quibus visus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia » [4]. Sed quia Scripturae nomine unionis loquuntur, aliquando nos docent per hanc unionem ea quae ad humanitatem eius pertinent: « Unus est *Dominus Iesus Christus per quem omnia » [5]. p. 175. Non enim per humanitatem eius creata sunt omnia: sed nomine unionis haec *dicuntur*. Ita et illud: « Unus est Deus, et unus est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus » [6]; et ecce haec ad divinitatem eius non pertinent. Templum enim eius est quod traditum est morti: « Memor esto Iesum Christum surrexisse a mortuis, qui est ex semine David, secundum Evangelium meum » [7]: quae ad humanitatem eius pertinent. « Nos praedicamus Christum crucifixum » [8]: non enim crucifixa est divinitas eius — nam ipse spiritus est, — etsi in eo erat per unionem. In sua enim humanitate crucifixus est, ut peccatum damnaret in carne sua, non in divinitate sua. Et: « Etsi crucifixus est in infirmitate, surrexit tamen virtute Dei » [9]; et: « Humiliavit semetipsum, et factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus valde exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est excellentius omnibus nominibus » [10] etc.; et: « Nunc reconciliavit vos in corpore carnis eius et in morte eius » [11]; et: « Pacem composuit in sanguine crucis illius per ipsum, sive eorum quae sunt in terra, sive eorum quae sunt in caelo » [12]; et: « Credidistis in virtutem Dei qui suscitavit

[1] MATTH., XVI, 16. — [2] *Rom.*, VIII, 32. — [3] *Rom.*, I, 3. — [4] *Rom.*, IX, 5. — [5] I *Cor.*, VIII, 6. — [6] I *Tim.*, II, 5-6. — [7] II *Tim.*, II, 8. — [8] I *Cor.*, I, 23. — [9] II *Cor.*, XIII, 4. — [10] *Philipp.*, II, 8-9. — [11] *Col.*, I, 22. — [12] *Col.*, I, 20.

eum a mortuis »[1]. Et permulta sunt similia argumenta quae praedicant et explicant humanitatem eius unitam, non autem divinitatem eius, in cruce passam esse et mortem subiisse. Et quemadmodum, cum homo crucifixus moritur, dicimus hominem crucifixum esse et mortuum esse, et non dicimus animam crucifixam esse et mortuam esse, — nam immortalis est, — sed propter unionem naturalem nomenque commune dicimus hominem crucifixum esse, sic etiam hic dicimus Christum crucifixum esse, et Christum mortuum esse et surrexisse, et non dicimus Deum crucifixum esse et mortuum esse. Et dicimus Filium Dei traditum esse pro nobis, — et haec nomine unionis, — non autem divinitatem eius passam et mortuam esse, quae ipsa
p. 176. suscitavit et perfecit *templum eius unitum.

Neque autem simpliciter dicimus hominem crucifixum esse, ne simus Pauliniani qui negant divinitatem eius; nec dicimus Deum crucifixum esse, ne simus Manichaei, negantes humanitatem capitis generis nostri, et sicut ii qui creationem et mutationem introducunt; sed dicimus Christum crucifixum esse dum intellegimus eum in humanitate sua, non in divinitate sua, crucifixum esse et mortuum esse eumque, *divinitate* ab eo non separata sed cum eo unita, omnia naturae suae pertulisse. Etenim Deus Verbum non discessit a templo suo unito ab initio formationis eius cum illud secundum ordinem suum perfectum est, nec cum formatum est et delineatum, nec cum ipse animam in eo creavit, nec cum natum est, nec cum pannis involutum est et in praesaepio positum, — et Magi illud in unione adoraverunt eique munera, prout edocti erant, obtulerunt quibus significabantur quae pertineant ad divinitatem eius unitam et impassibilem, et quae sint tanquam in honorem unitum et communem in una adhaesione: — nec cum circumcisum est et circumcisione pro foedere Dei functum est, divinitas ab eo separata erat, nec cum incrementum in temporibus suis iuxta ordinem suum humanum accipiebat, et crescebat secundum sapientiam et proficiebat et replebatur gratia Spiritus sancti a divinitate, quae in eo erat, quae illud secundum incrementum et progressum aetatis crescere faciebat et confortabat supernaturaliter: « Antequam cognoscat puer bonum et malum, re-

[1] *Rom.*, IV, 24.

probabit malum et eliget bonum » [1]: et: « Puer proficiebat et confortabatur a Spiritu » [2]. Et quemadmodum corpus animae coniungitur et motus eius ab anima, quae in eo est, decursu temporis ordinantur, dum haec ordinatio et honestas rationalis, et facultas distinguendi gustus, colores et figuras, non ab extrinseco ei advenit sed ab anima quae in eo ab utero habitat, — etsi hic unio est *naturalis et hypostatica, ibi vero voluntaria p. 177. et personalis, — sic et divinitas Domini nostri, dum unita erat humanitati eius, quae est templum eius ab initio formationis suae, illud gradatim perficiebat in omnibus divinis secundum incrementum aetatis eius. Verum, etiam cum homo Domini nostri secundum naturam suam dormiebat, divinitas eius cum eo unita erat; et cum fatigabatur, divinitas eius in eo erat, nec cum eo dormiebat aut lassitudinem experiebatur, etsi cum eo unita erat: « Non enim dormitabit, neque dormiet custos Israel » [3]. Verum, sive dum *homo* ille patiebatur iuxta naturam suam passibilem et carnalem, sive dum in cruce pendebat, replebatur infinite a divinitate quae in eo erat. Et cum deposuerunt eum de ligno, et involutum posuerunt in sepulcro, divinitas eius erat in eo infinite et unitive; et cum animam suam tradidit, quae in paradisum migravit, non derelicta est a divinitate eius unita. Sed et cum corpus, anima in illud reversa, a sepulcro surrexit per virtutem divinitatis, quae in eo erat, sicut *Christus* promiserat, et cum ascendit in caelum per discessum et secundum naturam suam, — sicut dixit: « Vado et venio » [4], et: « Ego non semper sum apud vos » [5], — divinitas eius, quae caelum et terram implet sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, in eo erat infinite. « Vobiscum sum » [6], id est, per divinitatem eius. Quin etiam cum venturus est cum gloria ineffabili in revelatione sua magna et terribili de caelo, divinitas eius erit in eo unitive et infinite, et cum sedebit super thronum iudicaturus omnes, scilicet in una virtute et una potestate unita, in una dominatione, in aeternum: « Omnia subiecit sub pedibus eius in una servitute » [7], et: « Omne genu ei flectetur », in una adoratione, in una unione unius *personae p. 178.

[1] Cf. Is., vii, 16. — [2] Luc., ii, 40. — [3] *Ps.* cxx, 4. — [4] Ioh., xiv, 28. — [5] Cf. Marc., xiv, 7. — [6] Matth., xxviii, 20. — [7] I *Cor.*, xv, 26.

Christi. Filii Dei, et: « Omnis lingua confitebitur quod Dominus Iesus Christus est in gloriam Dei »[1].

Itaque cum humanitas Christi, Domini nostri, haec omnia humilia secundum naturam suam tulit et cum ipse in omnibus humanis, praeter peccatum, tentatus est, divinitas eius in illis non tentata est, absit! Etenim spiritus infinitus non formatur, nec recipit incrementum qui caelum et terram implet; nec lumen circumciditur, nec patitur percussiones; nec spiritus natura sua possidet latus quod accipiat aperturam vulneris et corrumpatur; invisibilis est enim et incorruptibilis secundum naturam suam, et nemo hominum eum umquam vidit aut videre potest, et inhabitat lucem excelsam ad quam nemo appropinquare potest. Deus enim aliquid humanum non experitur, absit! Non enim habet ut mortem timeat, quia immortalis est. Nec Deus Verbum confortatus est ab angelo; ipse enim fortis est in natura sua sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, et « respicit terram ac tremefit »[2]. Neque Deus Verbum preces offert alteri Deo se maiori, nec petit ab eo auxilium qui naturaliter possidet quidquid habent Pater et Spiritus sanctus, praeter paternitatem et processionem. Deo Verbo non est sudor, — spiritus est enim, — nec ei est caput habens fores apertas, corporis instar, quod inclinaverit deorsum, et tradiderit spiritum suum. Etenim non habet animam in natura sua, aut *animam* quae componatur cum alio hypostatice, ita ut ipse sit aliud et anima eius aliud, sicut corpus et anima hypostatice coniunguntur ad unam hypostasim naturalem hominis. Neque Deus in ligno crucifigitur, nec configitur clavis, nec suspenditur
p. 179. in altum inter terram et caelum, quia spiritus est *infinitus et invisibilis et intangibilis. Neque sanguis et aqua ex Deo Verbo fluunt, quia non est corpus constans membris quae lacerentur et perforentur et corrumpantur; est enim lux et vita et spiritus, et simplex in esse suo, et invisibilis, et incorruptibilis, et nemo ad eum appropinquare potest. Ergo si Deus Verbum passus esset, non esset Deus secundum naturam, sed Deus nomine vel secundum honorem tantum. Quod si fecisset substantiam suam corpus secundum naturam, et passus esset et mortuus, ut dicunt pagani, filii gehennae, tunc possibile est ut faceret

[1] *Philipp.*, II, 10-11. — [2] *Ps.* CIII, 32.

hypostasim suam non esse secundum naturam suam Deum; nam omnes proprietates humanae, quas humanitas eius secundum naturam suam pertulit, remotae sunt a natura divina quae est immutabilis, immortalis, incorruptibilis, incomprehensibilis, invisibilis, et spiritus infinitus qui est immutabilis: « Ego sum et non mutatus sum »[1]; et: « Tu es sicuti es, et anni tui non deficient »[2]. Quod si mortuus esset, per tres dies vita sua privatus fuisset. Ergo patet quod humanitas eius omnia haec humilia, quae de hac oeconomia adoranda dicuntur, pertulit, non divinitas eius altissima quae perfecit templum suum rationale et unitum, quod est principium vitae nostrae in quo *Deus* unitive habitat in aeternum: « Decebat eum, per quem omnia et propter quem omnia, qui est Deus Verbum, sicut dictum est: Per quem fecit saecula[3], qui omnia tenet virtute verbi sui et multos filios in gloriam suam adduxit, principem vitae hominum, id est, hominem Iesum, passionibus perficere »[4]. Hic est qui crucifixus est; hic est qui morte solutus est per separationem corporis sui ab anima sua; hic est de quo beatus Paulus dixit: « Ille autem, seorsum a Deo, pro omnibus mortem gustavit »[5]; hic est in quo « *Deus* voluit omnem plenitudinem *habitare, et per eum reconciliare sibi omnia, et pacem composuit in sanguine crucis illius per ipsum, sive eorum quae sunt in terra, sive eorum quae sunt in caelo »[6]. Deus enim Verbum non habet sanguinem de carne, aut nutritorem carnis, agri passionum, o haeretici; nam spiritus est et vita et lux, et est supra omne nomen quod nominatur, et non est ei similitudo inter creaturas: « Deus quis est qui similis sit tibi? »[7]. Et quia invisibilis erat creaturis, ad revelationem suam sumpsit hominem de genere nostro, qui est vinculum totius creationis, per quem renovabit omnia, qui erit pater mundi novi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, per quem adimplebit totam oeconomiam suam, quem fecit sibi templum rationale ut in eo revelaretur et nobiscum loqueretur: « Manifestatus est in carne sua »[8], et in eo adoraretur cum Patre et Spiritu sancto sicut in templo suo unito. Et templum eius cum eo adoratur, quia ipse in eo unitive habitat: « In quo habitat

p. 180.

[1] Mal., III, 6. — [2] *Ps.* CI, 28. — [3] *Hebr.*, I, 2. — [4] *Hebr.*, II, 10. — [5] *Hebr.*, II, 9. — [6] *Col.*, I, 19-20. — [7] *Ps.* LXX, 19. — [8] I *Tim.*, III, 16.

omnis plenitudo divinitatis »[1]. Et adoramus et veneramur signum crucis eius, quia per eam redempti sumus a peccato, et morte, et Satana: « Et remisit nobis omnia peccata nostra, et delevit mandatis suis chirographum delictorum nostrorum quod erat nobis contrarium, illudque sustulit e medio ac ipsum affixit cruci »[2], etc. Crucem enim adoramus propter illum super eam crucifixum, et crucifixum adoramus propter Deum Verbum qui in eo unitive et infinite habitat cuique dedit omnia sua, praeter naturam suam, id est, nomen filiationis, potestatem, dominationem, honorem, virtutem, exaltationem, in una adhaesione unius personae Christi, Filii Dei, in una adoratione et honore. Ipsi, cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, sit adoratio et exaltatio sublimis in saeculum saeculorum. Amen.

p. 181. CAPUT DECIMUM NONUM: De Resurrectione Domini nostri Christi ex mortuis; quo in modo se videndum praebuit; pariter et de Ascensione eius.

Tam diversis modis haeretici plurimi peccaverunt et deliraverunt, etiam negaverunt et blasphemaverunt circa resurrectionem Domini nostri ex mortuis et circa resurrectionem universalem, ut non sit nobis tempus recitandi omnes sententias *eorum* perniciosas ex errore, filio ignorantiae, ortas. Sunt enim qui mentiti sunt et perverse negaverunt, *dicentes* corpus proprium Domini nostri non surrexisse nisi secundum phantasiam et in similitudine corporis, et eum in apparentia hominis visum esse. Et sunt qui deliraverunt et blasphemaverunt, dicentes illud in similitudine sphaerae surrexisse. Et sunt qui erraverunt, dicentes ossa tantum, absque carne et sine ceteris membris propriis, surrexisse. Et sunt qui magis desipuerunt, dicentes *Christum* non hoc corpus, quod morte exuerat, sed aliud induisse. Et sunt aliae impietates et deliramenta falsa quae excogitavit Satanas, pater mendacii, per instrumenta sua quae voluntarie parant semina eius amara.

Ecclesia vero sancta Christi, Domini nostri, sic confitetur, et affirmat, et credit, et tenet sine dubio: Illud corpus pro-

[1] *Col.*, II, 9. — [2] *Col.*, II, 13-14.

prium, quod secundum naturam et hypostasim suam in cruce mortuum est, quodque detulerunt et posuerunt in sepulcro cum serie membrorum eius, postquam anima ab eo discessit, idipsum cum serie membrorum suorum in resurrectione surrexit postquam in illud rediit anima, sicut dictum est: « Non derelicta est anima eius in inferno, neque corpus eius vidit corruptionem »[1]. Ecce nunc notum est sapientibus quod similitudo sphaerae est corruptio corporis in membris suis ordinati. Etenim corpus esse seriem membrorum diversorum simul in unum corpus unitorum testis est beatus Paulus, dicens: « Sicut enim corpus unum est et membra habet multa; et cum sint multa, unum est corpus »[2], etc. Rursus ait: « Et corpus *non est unum p. 182.
membrum, sed multa »[3]; et: « Quod si essent omnia unum membrum, ubi esset corpus? Nunc autem membra sunt multa, unum vero est corpus »[4]. Et nobis ostendit et explicavit corpus numquam nominari absque serie et congrua dispositione membrorum. Quidquid enim corpus est, est etiam materiale; non omne materiale autem est corpus, nec id, quod membra non habet, dicitur corpus: nam ecce lapides et ligna et foenum et pulvis numquam appellata sunt corpus. Itaque si Christus, qui est secundum carnem, non surrexit in corporeitate sua et in membris suis ordinatis, quomodo dixit beatus Paulus: « Faciet nos similes corpori gloriae suae »[5], et: « Ecce mysterium vobis dico: Non omnes dormiemus; omnes autem immutabimur. Repente, quasi in ictu oculi, in novissima tuba cum canet, resurgent mortui absque corruptione et nos immutabimur »[6]. Ecce homo totus immutabitur in corpore suo et anima sua, integer et benedictus; et beatus Paulus, quasi manu apprehendens illud corpus, id ostendit infidelibus, filiis erroris, *dicens*: « Futurum est ut hoc corruptibile induat incorruptibilitatem, et hoc mortale induat immortalitatem[7] »; et: « Seminantur in corruptione, surgent absque corruptione; seminantur in ignobilitate, surgent in gloria; seminantur in infirmitate, surgent in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale »[8]. Ecce idem corpus, quod seminatur, quod mortaliter regebatur

[1] *Act.*, II, 31. — [2] I *Cor.*, XII, 12. — [3] I *Cor.*, XII, 14. — [4] I *Cor.*, XII, 19-20. — [5] *Philipp.*, III, 21. — [6] I *Cor.*, XV, 51-52. — [7] I *Cor.*, XV, 53. — [8] I *Cor.*, XV, 42-44.

et per animam vivebat hac vita temporanea et passibili, idem vivet immortaliter per virtutem Spiritus sancti et immortaliter permanebit, quia arrham immortalitatis per baptismum mystice accepimus: « Consepulti enim sumus cum eo per baptismum in mortem, ut sicut Iesus Christus surrexit a mortuis per gloriam
p. 183. *Patris sui, ita et nos in vita nova ambulemus. Si enim una cum eo plantati sumus per similitudinem mortis eius, ita etiam in resurrectione eius vivemus » [1]; et: « Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum Christum a mortuis habitat in vobis, ille qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis etiam corpora vestra mortua vivificabit propter Spiritum eius habitantem in vobis » [2]. Ecce dixit eum vivificaturum corpus, non sphaeram, o Origenistae et Ḥananiani maledicti. Et in illo exemplo seminis, dum infideles increpat, iterum ponit: « Deus autem dedit illi corpus sicut vult, et unicuique seminum corpus proprium naturale » [3]. Ecce non dixit eum aliud corpus daturum, neque *corpora* surrectura sphaerice secundum impietatem impiorum, sed ipsum corpus renovandum esse in natura sua ad immortalitatem. Templum igitur proprium, quod solutum est, id est, anima a corpore *separata*, idipsum surrexit et renovatum est in resurrectione; et vestimentum, quod ablutum est vino passionis, idem surrexit et ablutum est illudque, non aliud, vestiens induit. Et idem corpus proprium surrexisse cum serie membrorum suorum, quae sunt manus et pedes et latera et latus et pars anterior et pars posterior, et cum tota ratione corporis, testis est ipse Verax qui discipulos suos fecit palpare manus suas et pedes suos, et vere ostendit totam rationem corporis sui, et crediderunt et pro certo habuerunt. Neque eos in errorem induxit ut, dum corpus palpabant, non corpus, sed phantasma aut sphaeram intellegerent. Et ecce, praeter linteamina tantum quae in sepulcro inventa sunt quaeque in resurrectione non erant necessaria, corpus proprium tamen surrexit omnino cum omnibus membris suis. Nam ecce etiam ad fideles illud dictum est et falsum non est: « Tradentur morti et occidentur, et capillus e caesarie post mortem eorum non peribit » [4], *et*: « Fu-
p. 184. turum est ut nos omnes stemus ante tribunal *Christi, ut retri-

[1] *Rom.*, VI, 4-5. — [2] *Rom.*, VIII, 11. — [3] I *Cor.*, XV, 38. — [4] Cf. Luc., XXI, 16-18.

buatur unicuique in corpore suo id quod a se factum fuerit, sive bonum sive malum » [1].

Quapropter dicant nobis iniqui: num corpus Domini nostri non surrexit, nec visum est a mulieribus, nec contrectatum est a discipulis? Et cum viderunt eum ascendentem in caelum, quo ivit? Ergo angeli mentiti sunt mulieribus, quia ad eas dixerunt: « Surrexit », et etiam apostolis, quia dixerunt: « Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum [2] ». Sed audiamus quid dicant mulieres: « Tulerunt corpus Domini nostri, et nescimus ubi posuerunt illud [3] ». Tunc angelus eas certiores fecit, dicens: « Surrexit: Iesum Nazarenum, qui crucifixus est, quaeritis; non est hic; surrexit enim sicut dixit: venite, videte locum ubi positus erat Dominus; et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit a mortuis; et ecce praecedet vos in Galilaeam; ibi eum videbitis » [4]. Et post alia, *Scriptura* ait: « Ecce Iesus fit eis obviam dixitque eis: Pax vobis. Illae autem accedentes tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum » [5]. Num Dominus noster eas in errorem induxit, aut pedes phantasticos aut forte sphaericos viderunt et prehenderunt? Sed impii, nitentes cum simplicibus contendere, dicunt: Quemadmodum ostendit eis cicatrices, dum cicatrices non erant in corpore antequam corpus suum discipulis suis exhiberet, et ostendit eis vestem, dum non erat vestis quia non nudus apparuit eis, et comedit et bibit coram eis, dum revera non comedit, sic ostendit eis formam corporis, dum non erat corpus verum sed phantasma. O errorem maxime impium! O infidelitatem! quae tam late hodie se extendit ratione peccatorum nostrorum propter pastores ignavos qui semetipsos magis quam veritatem et caritatem Christi diligunt. Ergo, iuxta sententiam horum maledictorum et iniquorum, filiorum diaboli, Dominus noster apostolos suos in errorem induxit; cum eos *fecit palpare corpus p. 185. suum et loca clavorum, ipsi apparentiam corporis et phantasma palparunt et viderunt. Rursus ipsi decepti alios deceperunt, et errorem per mundum universum praedicaverunt: *nempe* Dominum nostrum surrexisse, cum non surrexerit, sicut Iudaeos pecunia deceperunt. Itaque in quo differt error iste ab illo

[1] II *Cor.*, v, 10. — [2] *Act.*, I, 11. — [3] IOH., XX, 2. — [4] MATTH., XXVIII, 5-7. — [5] MATTH., XXVIII, 9.

quem protulerunt filii pravi domus Iannis et Iambris in Aegypto [1], et Satanas, malitia ipsa, qui coram Domino nostro omnia regna gloriamque eorum phantastice ostendit? [2] Sed non ita, impii, non ita. Nonne daemones de mendacio arguemus cum Evangelium vitae nostrae per mundum universum sicut sol illuxerit? Quare persecuti sunt apostolos qui resurrectionem a mortuis praedicabant et confirmabant? « De resurrectione mortuorum ego hodie iudicor » [3]. « Si non est vivificatio mortuorum, ne Christus quidem resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, et inanis etiam fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei quoniam testificati sumus de Deo quod suscitaverit Christum, cum non suscitaverit. Nam si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, inutilis est fides vestra, et adhuc in peccatis vestris estis. Quin et forte ii, qui dormierunt in Christo, perierunt » [4]. Sed ecce somnus mortis ad corpus, non ad animam, pertinet. Et: « Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, et fuit primitiae dormientium; et sicut per hominem fuit mors, ita et per hominem vivificatio mortuorum » [5]. Ergo si homo primus, corpus et anima, verus homo fuit, etiam homo secundus, Adam novus, corpus et anima, verus homo fuit, et ipse resurrexit, et factus est primitiae dormientium et pater mundi futuri: « Primitiae fuit Christus: et deinde ii, qui Christi sunt, in adventu eius » [6], etc. Et: « Ecce mysterium vobis dico: Non omnes dormiemus, omnes
p. 186. autem *immutabimur. Repente, quasi in ictu oculi, in novissima tuba cum canet, resurgent mortui absque corruptione et nos immutabimur » [7]; et: « Si mortui non resurgunt, ad quid baptizantur pro illis? [8] » et: « Si credimus quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc autem dicimus vobis in verbo Domini nostri quod nos, qui relicti sumus in adventu Domini nostri, qui vivimus, non assequemur eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus noster, in iussu, in voce archangeli, in tuba Dei, descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent

[1] II *Tim.*, III, 8; *Ex.*, VII, 11. — [2] MATTH., IV, 8. — [3] *Act.*, XXIII, 6. — [4] I *Cor.*, XV, 13-18. — [5] I *Cor.*, XV, 20-21. — [6] I *Cor.*, XV, 23. — [7] I *Cor.*, XV, 51-52. — [8] I *Cor.*, XV, 29.

primi; et deinde nos, qui relicti sumus, rapiemur una cum eis in nubibus in occursu Domini nostri in aere, et sic semper cum Domino nostro erimus » [1].

Num falsa sunt verba Domini nostri qui ostendit et confirmavit corpus suum surrexisse? Num inanis est praedicatio apostoli eius per quem locutus est? Num forte Dominus noster apostolis suis dixit: Ego praebeo vobis palpandum corpus cum membris eius; vos autem intellegite spiritum et sphaeram sine ossibus et sine carne, et phantasma, similitudinem corporis? Sed hoc est quod dixit et confirmavit: « Palpate me et scitote quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere » [2]. Et ostendit et explanavit et confirmavit se, post resurrectionem suam, iuxta naturam humanam, carnem et ossa et manus et pedes habere. Et cum *ea* illis palpanda praebuit, revera clavis perfossa erant; et latus costis instructum sicut antea (?), in corpore, quod lancea apertum erat, nam quia per costam mors intravit, per aperturam costae fuit vita in sanguine et aqua. Et os, quo cum eis loquebatur, idem erat per quod dederant ei bibendum fel et acetum pro gustu fici, fructus dulcis arboris. Et viderunt vultum, in quem *milites* exspuerant, esse eumdem post resurrectionem, nam ecce viderunt eum cum omnibus lineamentis eius, et ipse *cum eis loquebatur facie ad p. 187. faciem; et, quasi summatim, vere viderunt totam staturam eius virilem cum omnibus eius, in qua venturus est cum gloria magna, in unione sua cum Deo Verbo unitive, ad iudicandos mortuos et vivos, quemadmodum angeli apostolis dixerunt, ut supra retulimus: « Hunc Iesum, quem vidistis ascendentem a vobis in caelum, sic videbitis venientem de caelo » [3]. Non igitur tanquam sphaera factus est rotundus et ascendit, o Sphaeritae: nec rursum tamquam sphaera rotundus descendet, ut hi impii dicunt; sed cum corpore in membris ordinato, in eadem forma sua integra, in qua ascendit, veniet cum gloria magna et ineffabili. Ergo tantus error mendacio praevaluit, sicut hi haeretici blasphemant, ut Dominus noster, qui est lux et veritas, apostolos deceperit; et etiam angeli apostolos deceperunt, et apostoli mundum deceperunt, *dicentes* Dominum nostrum a sepulcro surrexisse, cum non surrexerit in corpore proprio? Ergo, iuxta

[1] I *Thess.*, IV, 13-16. — [2] Luc., XXIV, 39. — [3] *Act.*, I, 11.

impietatem maledictorum horum Ḥananianorum, super commentum et phantasma positum est fundamentum veritatis nostrae. Sed non ita, o iniqui, non ita. Sed quid? « Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris » [1]. Notum est autem quod anima non moritur et Dominus noster immortalis est in divinitate sua. Sed ipse suscitavit templum suum: « Deus autem et Dominum nostrum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam » [2], et: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus ego excitabo illud [3] ». Et *notum est* humanitatem eius per unionem cum Deo Verbo habere virtutem suscitandi mortuos, sicut ipse dixit: « Quemadmodum Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso » [4], nam ipsa per unionem est Filius sicut est homo secundum naturam.
p. 188. *Audi eum dicentem: « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei et resurgent » [5]. Sed ecce corpora, non animae, in monumentis sepeliuntur.

Sed quia excaecati illa mirabilia, quae facta sunt in hac oeconomia adoranda, non intellegunt, pauca dicemus ad instructionem indoctorum. Tria quidem sunt miracula, quae Dominus noster ante crucifixionem et resurrectionem suam ostendit, quae sunt multo sublimiora natura corporis mortalis quod induerat, quae manifestabant virtutem divinitatis eius, quae unitive habitabat et manebat in humanitate eius, in una adhaesione. Et alia *miracula* post resurrectionem ostendit, quae minora sunt ob perfectionem [6] corporis quod est immortale, et incorruptibile, et impassibile, et non indigens; haec et illa in se et per se dubitantes certiores fecerunt et confirmarunt quod hoc corpus proprium, quod mortuum in sepulcro positum est, idem est quod surrexit et vivificatum est tertio die, iuxta promissionem eius qui illud induit, et non aliud. Illa enim tria, quae ante resurrectionem *ostendit*, sunt sicut tres testes, et sunt multo sublimiora et maiora ordine corporis mortalis crassitudine carnis induti. Primum est quod ipse, virtute divinitatis ipsi ab utero unitae, egressus est per portas clausas et virginales incolumitatis naturalis, quin corrupta sint sigilla na-

[1] *Rom.*, x, 9. — [2] I *Cor.*, vi, 14. — [3] Ioh., ii, 19. — [4] Ioh., v, 26. — [5] Ioh., v, 25. — [6] Ad lit.: ex non indigentia.

turalia, custodes sanctitatis in perpetuum cum signo firmo in testimonium castitatis perpetuae. Et hoc simile est illi quod post resurrectionem factum est, *cum* intravit in caenaculum ad discipulos suos, ianuis clausis, virtute divinitatis quae in eo erat, per prodigium stupendum et ineffabile. Secundum est quod ipse ambulavit super aquam mollem et diffusam et remissam, dum habebat *corpus quod, secundum naturam suam terrenam, p. 189. pondere mortalitatis deorsum descendere appetebat; quae duo et apud Petrum ostendit ut de seipso confirmaret quod Deus Verbum in ipso habitabat per unionem in una adhaesione, in una virtute et potestate. Primum enim Petro persuasit ambulare et venire super aquam, ut discipulos suos doceret de virtute divinitatis suae in humanitate sua absconditae: et deinde corpus Petri in natura eius reliquit, ut pondus corporis mortalis agnosceretur et *pateret* quod, quantum ad corpus, homo Domini nostri aequalis est in humanitate sua Petro et ceteris hominibus, etsi adorandus est in honore *et* ordine divinitatis propter unionem, sicut dictum est: « De carne eius sumus et de ossibus eius » [1], et: « In omnibus assimilatus est nobis praeter peccatum » [2]. Et quia manum ei porrexit et eduxit eum sursum, ostendit virtutem divinitatis suae, seque non esse hominem simplicem, sed Deum Verbum in ipso habitare per unionem et haec miracula facere, v. gr.: Dormivit in navi secundum naturam suam humanam, et increpuit mare et sedavit fluctus eius secundum naturam suam divinam [3]. Rursus, tertium miraculum, quo in corpore mortali id quod est supra mortalitatem ostendit, est illud gloriosum et praeclarum et ineffabile quo, coram discipulis suis in monte, depinxit et manifestavit hunc *statum*, in quo futurus erat post resurrectionem cum gloria ineffabili propter unionem sibi ab utero factam: qui status adhuc occultabatur propter infirmitatem videntium: « Sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint Filium hominis venientem in regno suo. Et post sex dies Iesus secum sumpsit Cepham, et Iacobum, et Iohannem quos duxit in montem solos. Et transformatus est Iesus coram eis, et splenduit vultus eius sicut sol, *et* vestimenta eius candida facta sunt sicut lux » [4], *ut ostenderet non solum cutem faciei suae splen- p. 190.

[1] *Eph.*, v, 30. — [2] Cf. *Hebr.*, iv, 15. — [3] Cf. Matth., viii, 24-26. — [4] Matth., xvi, 28-xvii, 2.

duisse et transformatam fuisse in illum splendorem stupendum et mirabilem et ineffabilem, ad instar typi adumbrantis apud Moysen, sed totum corpus suum nitidum et splendens et illuminans factum esse, ita ut ex splendore lucis eius etiam vestimenta eius candida facta sint sicut lux lampadae fulgentis, quae absconditur intra vestimentum *seu* pallium, et intus per splendorem suum splendet. Ecce vero si hoc mysterium, quod factum est, *significabat* quod futurum erat ut corpus Domini nostri post resurrectionem glorificaretur et manifestaretur in illo splendore stupendo et gloria ineffabili in qua venturus est de caelo cum alia gloria, — et si corpus eius, non species sphaerae, visum est, sed in vultu suo et in omnibus membris corporis sui nitidus factus est et splenduit, — ergo et post resurrectionem suam in corporeitate sua mansit et manebit, non amissis lineamentis vultus sui qui dicitur pulcher visu prae hominibus, nec sensibus suis mutatis a natura et ordine quae homines possident, nec membris corporis sui solutis et corruptis in sphaericitatem, secundum commentum impiorum.

Ita simili modo, post resurrectionem, tria alia miracula fecit quae minora sunt eis in quibus corpus eius post resurrectionem erat. Ecce enim corpus eius incorruptibiliter surrexit, non habens cicatrices nec stigmata lacerata et perfossa, et in eo fecit, hoc tempore quo manus suas et pedes suos discipulis suis ostendit, cicatrices et stigmata. Vere enim fecit stigmata perfossa, cum illos palpare fecit, sicut illa quae praecesserunt resurrectionem per quae et ex quibus passus erat et mortuus; veram quidem fissuram in manibus et pedibus suis, et veram aperturam lateris sui per lanceam eis ostendit; neque secundum commentum et phantasiam et phantasma non subsistens confirmavit eos de
p. 191. resurrectione sua per tactum et stigmata; *sed revera erant membra, et revera stigmata. Et postquam *ea* discipulis ostendit et certiores facti sunt per id quod viderunt, crediderunt idem corpus, quod mortuum fuerat, etiam surrexisse. Etenim post resurrectionem nondum sciebant eum ad incorruptibilitatem surrexisse, sed sicut ceteros qui surrexerunt ad corruptionem et deinde mortui sunt, quemadmodum prophetae *mortuos* suscitaverunt et Dominus noster Lazarum vivificaverat. Et forsan si in corpore eorum fuerunt stigmata sive recentia sive vetera, in eisdem surrexerunt. Quapropter postquam incredulitatem di-

scipulorum sanavit et crediderunt corpus, quod mortuum erat et in sepulcro positum, illud esse quod et videbatur, — ecce enim illud intuebantur et aspiciebant, — tunc postea loca illa perfossa facta sunt aequalia et firma iuxta naturam immortalem et immutabilem et stigmatum expertem in qua surrexit et in qua non sunt stigmata nec cicatrices. Et quemadmodum postquam gloriam suam in monte coram discipulis suis ostendit ut eos certiores faceret in qua gloria futurus esset post resurrectionem, — et quia hoc tempore vere transformatus est in splendorem ineffabilem et vultus eius resplenduit sicut sol, non autem secundum commentum aut apparentiam, ideo dictum est: « Transformatus est Iesus coram eis »[1], ut ostenderet se revera esse id quod erat et visus est, — et deinde haec lux ineffabilis operta est, cum eis dedisset intellegentiam sublimium divinitatis suae unitae in corpore habitantis, quia corpus suum manifestaturus erat cum gloria magna et ineffabili; ita etiam hic factum est post resurrectionem. Per colorem autem carnalem mortalitatis splendorem fulgentem, in quo erat post resurrectionem, celavit donec in caelum ascendit, *secundum my- p. 192.
sterium in monte cum colorem carnis mortalis splendore suo celavit; et postquam discipulis suis palpanda praebuit loca clavorum per quae et ex quibus firmati sunt de resurrectione eius, deinde, sicut dixi, rursus illa *loca* coaequavit ad naturam immortalem et stigmatum expertem, quam per resurrectionem a mortuis induerat, sicut dictum est: « Seminatur in corruptione, surget absque corruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale »; et: « Animale, et demum spiritale » [2], cum *Paulus* de Domino nostro locutus est.

Iteremus autem argumentum. Quemadmodum gloria illa splendens, quam in monte ostendit, vera erat, et deinde corpus eius, naturaliter, sicut omnia corpora quae adhuc in mortalitate sunt, mansit in colore carnali et in ceteris, sic et post resurrectionem vere eis ostendit colorem carnis mortalis, sicut colorem omnium hominum, absque gloria sua, celans gloriam suam velo cuius causa potuerunt ad eum accedere et cum eo conversari. Et si hoc tempore erant in eo cicatrices, quas eis palpandas

[1] Matth., xvii, 2. — [2] I *Cor.*, xv, 42-44.

praebuit, et postea cicatrices evanuerunt, corpus tamen mansit in incorruptibilitate sua naturali, dum gloria eius celata erat, quia scilicet ne discipuli quidem, qui erant in natura mortali et non habebant oculos immortalitate ardentes, hunc splendorem ineffabilem intueri poterant. Nam ecce nec filii Israel vultum Moysis splendentem intueri potuerunt [1], etsi dictum sit cutem faciei eius splenduisse, non autem corpus eius, sicut splenduit corpus Domini nostri. Et ecce etiam de apostolis dictum est: « In faciem suam ceciderunt prae timore et timuerunt propter ea quae viderunt et audierunt in monte » [2]; et etiam luce, quae circumfulsit Saulum, caeci facti sunt ambo oculi eius [3].
p. 193. Quapropter ut discipuli post resurrectionem eum *videre et cum eo conversari possent, sicut dixi, ita splendorem suum ineffabilem celavit specie in qua solebant eum videre; cum tamen corpus eius in eisdem membris suis esset ante resurrectionem, et etiam post resurrectionem cum abiit in immortalitatem ut esset primus in omnibus et primitiae dormientium: « Quasi vas figuli quos comminues » [1]. Et quemadmodum mystice in monte splendorem suum eis revera ostendit, ita eum post resurrectionem suam manducasse et bibisse cum eis non est falsum. Vere enim in manus suas sanctas et venerabiles cibum sumebat et inserebat in hoc os sanctum quo cum eis loquebatur, non in apparentia fallaci, absit! nec in phantasmate haud subsistenti: verumtamen, virtute secreta et ineffabili, cibus ille dissipabatur nec corpus nutriebat. Et quemadmodum tempore resurrectionis, eorum, quos vivificatio et mutatio repente apprehendent, quidam, pleno ventre, mutabuntur in immortalitatem, alii autem multi recumbentes ad caenam, et etiam frusto panis in os tunc immisso, in parvo momento temporis, cibo e corporibus eorum evanescente, mutabuntur in immortalitatem, et corpus in immortalitate cum corporeitate sua permanebit, nullo cibo aut potu intra illud exsistente; ita et ibi fecit Dominus noster ad confirmandam resurrectionem corporis sui, ne putaretur corpus eius secundum phantasma aut apparentiam post resurrectionem visum esse. Ita et quod attinet ad vestimentum. In specie enim, quasi vestimentis indutus apparuit eis, dum revera non erant

[1] *Ex.*, xxxiv, 30; II *Cor.*, iii, 7. — [2] Matth., xvii, 6. — [3] Cf. *Act.*, ix, 8. — [4] *Ps.* ii, 9.

vestimenta, quia linteamina, quibus involutum fuerat corpus eius, in sepulcro *manserunt, et illa, quae habuit ante cruci- p. 194. fixionem, sorte divisa sunt; sed apparuit eis prout potuerunt eum videre et cum eo conversari, velata gloria sua ineffabili modo quem noverat. Etenim de vestimentis non dubitabant: alioquin, etiam vestimenta eis revera ostendisset, sicut panem et ignem et piscem eis revera exhibuit cum tamen ignoretur quomodo et unde. Non enim resurrectionem vestimentorum praedicaturi erant, ut ostenderet eis vestimentorum veritatem; sed eos certiores fecit de resurrectione corporis sui, de qua dubitabant, ut illam praedicarent. Equidem usque ad resurrectionem ad id potissimum spectabat doctrina Domini nostri, per signa et miracula quae faciebat, ut omnes doceret se non esse hominem simplicem sed etiam Deum in corpore templi sui per unionem habitantem, sicut dixit: « Pater meus usque modo operatur, et etiam ego operor »[1]; et: « Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat illos, ita et Filius quos vult vivificat »[2], et alia huiusmodi quibus docuit et declaravit divinitatem suam in humanitate sua per unionem habitare. Ita et post resurrectionem cura ei fuit ut discipulos suos certiores faceret se surrexisse in corporeitate sua in qua eum cognoverant, et resurrectionem suam non secundum phantasma et apparentiam factam esse, sed eum, qui solutus erat, revera eumdem esse qui surrexit secundum promissionem habitatoris sui: « Non derelicta est anima eius in inferno, neque corpus eius vidit corruptionem »[3]; et: « Ita suscitavit eum Deus ut non amplius visurus sit corruptionem »[4], sicut et beatus Lucas evangelista dixit: « Illis ostendit seipsum viventem, postquam passus est, signis plurimis per quadraginta dies, apparens eis et loquens de regno Dei, et cum comederet cum eis panem, *praecepit p. 195. eis ne ab Ierusalem discederent »[5], etc. Eadem etiam beatus Petrus dixit: « Comedimus et bibimus cum eo post resurrectionem eius »[6].

Ecce vero, etsi Dominus noster haec omnia demonstravit, et affirmavit atque docuit resurrectionem humanitatis suae unitae, et revera corpus, quod mortuum erat quodque erat templum

[1] Ioh., v, 17. — [2] Ioh., v, 21. — [3] *Act.*, ii, 31. — [4] *Act.*, xiii, 34. — [5] *Act.*, i, 3-4. — [6] *Act.*, x, 41.

ipsius unitum, unitive surrexisse; et rursum etiam discipuli eius *demonstrarunt* permultis argumentis et cum testimoniis, quae confirmabantur miraculis in nomine eius peractis, eum vere surrexisse — en testimonium miraculorum: « In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni surge super pedes tuos » [1]: et: « Illum principem vitae interfecistis quem suscitavit Deus a mortuis, et nos omnes testes eius sumus: et per fidem nominis sui hunc, quem vidistis et nostis, ipse confirmavit et sanavit; et fides in illum dedit huic istam sanitatem coram vobis [2] » — verumtamen, sicut dixi, non obstante quod per illa firmatum est unicuique humanitatem Domini nostri surrexisse, eumque esse principem dormientium et primogenitum ex mortuis, ecce tamen omnes isti impii Ḥananiani, qui hodie germinaverunt ad interitum suum, negant non solum resurrectionem corporis Domini nostri, sed etiam resurrectionem universalem corporum omnium hominum; et *dicunt* « redemptionem animabus tantum futuram », et « eam esse redemptionem earum ut liberentur e carcere corporis in quo concluduntur ». Sed vere resurgent etiam corpora impiorum istorum in resurrectionem iudicii, et tradentur supplicio aeterno cum Satana, patre eorum, cuius dolo consenserunt. Illi quidem impii, spe privati, ut simpliciores in errorem inducant, dicunt: Quid proderunt manus cum non erit labor? Quid proderit os cum non comedemus? Quid
p. 196. cetera membra? O iniqui, spe privati!* Non pro cibo tantum factum est os, sed pro laude et glorificatione et gratiarum actione coram illa maiestate, sicut et vos hoc ore ululabitis in fletu sempiterno, iuxta verbum Domini [3]. Et oculi in die illa videbunt facie ad faciem, alii gaudium et laetitiam, alii angustiam et supplicium; et manus sursum elevabuntur sine ira et machinationibus; et genua flectentur in adoratione coram Christo: « Omne genu ei flectetur et omnis lingua confitebitur quod Dominus Iesus Christus est in gloriam Dei, Patris sui » [4]. Et pedes stabunt ante tribunal illud tremendum: « Futurum est ut nos omnes stemus ante tribunal Christi ut retribuatur unicuique in corpore suo id quod a se factum fuerit, sive bonum, sive malum » [5]. Ecce corpus est series membrorum, sicut osten-

[1] *Act.*, III, 6. — [2] *Act.*, III, 15-16. — [3] Cf. MATTH., XXV, 46. — [4] *Philipp.*, II, 10-11. — [5] II *Cor.*, V, 10.

sum est. Et manus et pedes vestri ligabuntur, iisque ligatis virtute secreta in supplicium aeternum trademini. Quod si mystice propter baptismum et primitias Spiritus, quae accepimus, dictum est de nobis ab apostolo : « Sumus creatura illius, qui creati sumus in Iesu Christo ad opera bona » [1], tunc ibi perficientur a nobis opera bona cum omni perfectione in immortalitate ; sin aliter, ad quid resurrectio ? nam hoc erit gaudium nostrum in resurrectione ut iustitiam operemur. Ecce, o iniqui, quot sunt membra in corpore quae ad ornatum tantum ordinantur ! Et sunt alia quorum operatio cessabit, et etiam haec vivent et ornatus eorum manebit. Quaenam enim forma erectior est et pulchrior et desiderabilior visu quam corpus humanum quod quasi ad hoc conditum est ut sursum intueatur, non deorsum sicut iumentum ? Testes sunt defectus qui in eo inveniuntur, qui tam deformant illud, praesertim *apud* eos qui gibbi sunt.

Ergo non sphaerice resurgent corpora, o iniqui. Et ad quid proderunt sphaerae, o deceptores ? *ad iocum ? Aut fortasse in p. 197. resurrectione fient rotunda et ascendent in caelum ? Audite, o iniqui. Dictum est enim : « Eduxit Dominus noster discipulos suos usque ad Bethaniam, et elevavit manus suas eisque benedixit » [2]. Ecce, o miseri, sphaerae rotundae et fusi (?) non habent manus ; nec humanitas Domini nostri rotunda facta est cum in caelum ascendit, sed ascendit in forma corporis cum serie membrorum eius. Et : « Cum haec dixisset, dum ipsi aspiciunt eum, sublatus est nubesque suscepit eum et opertus est ab oculis eorum. Et cum suspicerent in caelum, eo proficiscente, inventi sunt duo viri ipsis adstantes in vestimentis albis. Et dixerunt eis : Viri Galilaei, quid statis et suspicitis in caelum ? Hic Iesus, qui elevatus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum eum vidistis ascendentem in caelum » [3]. O iniqui ! Iesus non est sphera, nec sphaerice ascendit in caelum, sed in forma sua corporea, quam eis post resurrectionem suam ostendit, et in hoc corpore unito veniet ; « quemadmodum eum vidistis ascendentem in caelum », non soluta compositione sua nec corrupta in formam sphaerae aut fusi (?) aut mensae, nec phantastice veniet, sed in forma possidente illas manus quas expandit et

[1] *Eph.*, II, 10. — [2] LUC., XXIV, 50. — [3] *Act.*, I, 9-11.

posuit super eos ut eis benediceret, et omnia membra sua simul in mensura aetatis virilis in qua venturus est cum gloria magna et ineffabili : « Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute magna et cum gloria »[1]. Ergo, o infideles! Filius hominis non est sphaera, sed corpus et anima unita, qui est vir in aetate sua, per quem Deus omnes unitive iudicaturus est in una virtute et potestate : « Statuit diem quo
p. 198. iudicaturus est terram universam *cum aequitate, per virum quem definivit, et convertit unumquemque hominem ad eum, suscitando ipsum a mortuis »[2]. Ergo dixit quod virum, non sphaeram, a mortuis suscitavit. Sphaera enim numquam appellatur vir, o haeretici. Vir est qui mensuram virilem possidet, et distinguitur per figuram suam ab ordine mulierum, et alia est hypostasis maris et alia hypostasis feminae. Et vir completus est in omnibus suis, non autem puer. Hic est vir quem Iudaei interfecerunt : « Quid vultis me occidere, virum qui veritatem locutus sum vobis? [3] ». Hic est vir qui venturus est in unione : hoc est templum quod solutum est ; hic est quem suscitavit habitator eius, et est cum eo unitive in una gloria et adoratione et exaltatione, in una filiatione unita cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito in saeculum saeculorum. Amen.

Quicumque ita non confitetur, negat veritatem, et vita eius peribit, et ligabitur manibus et pedibus suis, et tradetur cum corpore et anima sua in gehennam aeterno cruciantem, quae parata est diabolo et angelis eius. Nos autem debiles, imperfecti, et peccatores, qui recte confitemur resurrectionem corporis Domini nostri, et mortuos surrecturos et vivificatum iri in corporibus suis, et induturos ex mortalitate immortalitatem et ex corruptione incorruptibilitatem, et etiam animas cum corporibus suis adepturas immutabilitatem et firmitatem in uno spiritu, nos quidem, qui ita confitemur, misericordiam copiosam consequemur in tribunali retributionis cum retribuetur unicuique in corpore suo id quod a se factum fuerit, sive bonum sive malum. Deo nos salvante per misericordias suas non solum ab haeresibus praesentibus erroris, sed ab illo supplicio iusto quod eis, qui poenitentiam non agunt, reservatur. Et per hanc
p. 199. poenitentiam usque ad *extremum halitum vita nostra perfi-

[1] MATTH., XXIV, 30. — [2] *Act.*, XVII, 31. — [3] IOH., VIII, 40.

ciatur, nam ipse est per eam adiutor noster et custos noster, ut mens nostra a spe eius non deficiat: et sint super nos benignitas et misericordia eius et etiam remissio peccatorum per gratiam Christi, spei nostrae, capitis vitae nostrae, et Dei nostri. Ipsi et Patri eius et Spiritui sancto sit gloria, et gratiarum actio, et exaltatio, et adoratio in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus quintus.

TRACTATUS SEXTUS.

Caput vigesimum: De Nominibus Christi, Filii Dei; quae et quot sint nomina divinitatis eius; et quae et quot sint nomina humanitatis eius; et quae sint nomina unionis illius mirabilis et ineffabilis; et quid unumquodque eorum nobis significet?

Caput vigesimum primum: De hoc: Quid nobis significent haec nomina et aliae appellationes, id est, assumptio, habitatio, templum, vestimentum, adhaesio, unio?

Caput vigesimum: De Nominibus Christi; quae et quot sint nomina divinitatis eius; et quae et quot sint nomina humanitatis eius; et quae sint nomina unionis illius mirabilis et ineffabilis; et quid unumquodque eorum nobis significet?

Quoniam multi in imprudentia et inexperientia sua, et alii mente perversa confuderunt et miscuerunt nomina et appellationes quibus denominatus est Christus, Filius Dei, caput vitae nostrae, et Deus noster, quae desumpta sunt ex Scripturis sacris et traditione hominum sanctorum et Theologorum, et in insipientia sua dixerunt *unumquodque ex nominibus et appel- p. 200.
lationibus, quibus denominatus est, omnia *cetera* denotare, et *quoniam* alii negaverunt assumptionem naturae nostrae ad unionem et existentiam *eius* tantum impie fassi sunt; et alii in stultitia sua divinitatem passioni obnoxiam dixerunt, et irritas fecerunt proprietates divinitatis et humanitatis eius, et finxerunt unionem naturalem et hypostaticam, et commiscuerunt et admi-

scuerunt et miscuerunt naturas divinitatis et humanitatis eius; et alii, etsi naturas non commiscuerunt, hypostases tamen confuderunt, dicentes unionem hypostaticam et Deum non esse Deum unitive nec hominem hominem unitive in una adhaesione, id est, in una persona unius Domini Iesu Christi; placuit nobis, sicut didicimus a vera traditione omnium filiorum Ecclesiae catholicae et apostolicae, proferre omnia nomina quibus Christus, Filius Dei, denominatus est, ad disciplinam et instructionem fidelium rationalium, et explanare quaenam denotent naturam divinitatis eius, et quaenam denotent naturam humanitatis eius, et quaenam pertineant ad unionem oeconomiae eius quae facta est propter nostram salutem, et quaenam *sint* per derivationem et similitudinem et typum et allegoriam ratione huius oeconomiae perficiendae.

Primum quidem in ordine ponemus nomina plurima huius unius personae propriae unius Domini Iesu Christi, Filii Dei, et deinde unumquodque eorum elucidabimus in virtute Christi, quae comitatur infirmitatem et miseriam nostram propter spem nostram et fiduciam nostram et intuitum nostrum ad ipsum, secreto et aperte, semper etiamque nunc; quod et fit per misericordiam eius erga omnes poenitentes.

Breviter, nomina divinitatis eius, quae habuit ante unionem cum humanitate sua, haec sunt: Filius, Verbum, Deus, Do-
p. 201. minus, Unigenitus, Lux, Splendor, Imago, Vita, *Forma Dei, Rex, Sanctus. Ab oeconomia autem eius in corpore et deinceps, tum nomina humanitatis eius unitae, cum illa unionis propter personam unius oeconomiae adorandae in una adhaesione duarum naturarum quae servant proprietates suas in una persona unius Filii in aeternum, sunt, ut breviter dicam, haec: Iesus, Christus, Infans, Primogenitus ex Maria, Emmanuel, Puer, Vir, Filius hominis, Filius Altissimi, Primogenitus omnium creaturarum, Primogenitus ex mortuis, Sacerdos, Filius David, Rex, Dominus, Propheta, Adam, Imago Dei invisibilis, Iustus, Sanctus, Lapis, Panis, Vitis, Via, Ostium, Agnus, Pastor, Virga, etc.

Nomina divinitatis. — Deus Verbum vocatur Filius, quia ipse revera Filius verus ex Patre vero natus est ab aeterno et non factus est, connaturalis et coessentialis et similis ei in omnibus, per distinctionem nominis proprii; et proprietas pro-

pria et aeterna filiationis neque mutatur, neque convertitur ab aeterno et in aeternum, sicut neque modus distinctus et singularis proprietatis Patris. Unus est enim Filius unius Patris, sicut unus Pater unius Filii. Deus Pater non est Pater alterius Filii secundum naturam, neque exsistit alius Deus Filius ex alia essentia et natura, sed tantum ex Deo Patre, id est, ex natura eius per modum proprietatis aeternae.

Rursus Filius vocatur Verbum, quia Pater eius non est prior eo, etsi ipse est ex Patre secundum naturam et est in sinu eius et cum eo et in eo infinite, sicut Pater est in illo infinite: « Ego sum in Patre meo, et Pater meus in me » [1]. Et ipsi se invicem indicant appellatione singularum personarum suarum; quemadmodum Pater indicat *Filium, sic Filius Patrem indicat, se- p. 202.
cundum exemplum verbi ad explicationem Verbi. Animam enim cum dicis, continuo indicasti rationem et verbum animae; et verbum cum dicis, continuo indicasti animam, quia verbum est ex ea, et in ea, et cum ea, et apud eam. Anima quidem non est sine verbo, nec verbum sine anima. Ita Deus Verbum ex Deo Patre natus est in hypostasi sua ab aeterno, ante omnia tempora et intervalla et momenta, sine passione, sine fluxu, sine divisione, et ex eo est, et cum eo est, et in eo est, eique adhaeret in hypostasi sua aeterna in unitate unius naturae, prodigio stupendo et ineffabili, sicut et Spiritus sanctus secundum hypostasim consubstantialis est Patri et Filio, etsi Spiritus sanctus est per modum processionis, Filius autem per modum generationis. Hic ergo nomen « Verbum », quod a filio tonitrus caelesti *accepimus, datum est* non ad denotandam hypostasim, sed quia est sine initio, sine tempore, sine divisione, sine fluxu, et ex Patre secundum naturam. Quoniam vero nullum est ex his nominibus et appellationibus et cognominationibus quod possit per se solum creaturis manifestare, et indicare, et illustrare, et declarare, et exponere, et demonstrare, et notam facere generationem stupendam huius Filii mirabilis ex Genitore mirabili et ineffabili, nam hi tantum se cognoscunt, ideo plurimae sunt cognominationes et appellationes nominum huius Filii aeterni, quia unaquaeque earum quid singulare significat fidelibus et iis qui captivi sunt sub sensibus et vocibus et verbis et diffe-

[1] Ioh., xiv, 11.

rentiis et signis et iudiciis et explicationibus rationis, sicut et ceterae omnes creaturae rationales et incorporeae; nam et istae doctrina vivificanti, quae est per scientiam, indigent secundum verbum apostoli [1].

p. 203. Rursus, Verbum ex Patre etiam Deus appellatur, quia *vere Deus est secundum hypostasim, sicut Deus Pater secundum hypostasim, et sicut Deus Spiritus sanctus secundum hypostasim: Trinitas adoranda in una divinitate et in una natura aeterna, quae est creatrix et causa omnium, omnipotens, administrans, gubernatrix et iudex. Ipse Filius est cum Patre et Spiritu sancto in una dominatione et essentia aeterna in saeculum: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum » [2]. Etenim beatus Evangelista *haec* distinxit, et illustravit, et explicavit, nosque erudivit. Quia eum vocavit Verbum, ne forte putaremus et cogitaremus eum esse virtutem et operationem haud subsistentem, ut senserunt impii, filii daemonum, asseclae Sabellii et Pauli, huic « Verbum » etiam nomen « Deus » subiunxit: « Deus erat Verbum », id est, secundum hypostasim sicut Deus Pater secundum hypostasim ex quo natus est, et: « Hic erat in principio apud Deum [3] », non ut virtus, sed ut hypostasis apud hypostasim, in principio Deus apud Deum, ab aeterno et ante tempora, genitus, non factus. Hic ergo increpati sunt et ceciderunt omnes impii sectatores Arii et Eunomii, et ceteri haeretici qui Filium minorem Patre faciunt et eum, per quem omnia facta sunt quique omnia tenet virtute verbi sui, reputant creaturam et factum et temporaneum et finitum. Nihil enim est prius τῷ « In principio ». Quantumvis ergo mens rationalis se extollat et cogitet, haec *tantum* cognoscit: In principio erat Deus Verbum apud Deum Patrem, ab aeterno, et cum eo et apud eum, in una essentia aeterna et in saeculum.

Rursus, Deus Verbum appellatur etiam Dominus, quia dominus est in essentia sua aeterna; et ipse creavit omnia, et potestatem habet super omnia, et regit et gubernat *omnia cum Patre et cum Spiritu sancto, et quodcumque vult facit in caelo et in terra, in una dominatione indivisa Trinitatis aeternae: Dominus, Dominus, Dominus, unus Dominus in una natura. Et dum hypostases adorandae uniuntur in una essentia aeterna,

p. 204.

[1] Cf. *Eph.*, III, 10. — [2] IOH., I, 1. — [3] IOH., I, 2.

distinguuntur unitive in hypostasibus suis et in proprietate personarum suarum, in una essentia et dominatione.

Rursus, Dominus Filius vocatur Unigenitus, quia fratres non habet, et non est eo prior secundum filiationem. Filiatio enim ad eum pertinet singulariter ab aeterno, modo inscrutabili, sicut non natus est post eum alius ex Patre eius, id est, ex natura eius; sed *natus est* unus Filius unigenitus, unicus, ex uno Patre solitario et unico, in una essentia aeterna et ante tempora. Nihil quidem aequale est essentiae eius aeternae, nec modo generationis eius aeternae ex Patre: unus Pater unius Filii, et nihil amplius; unus Filius unius Patris, et nihil amplius. Quomodo autem hoc sit, ipsi cognoscunt.

Rursus, Unigenitus Patris appellatur Lux, quia vere est lux vera de luce vera, illuminans omnia rationalia et intellegentia veritate sua. Quemadmodum inter sensibilia est haec lux sensibilis, sic inter spiritalia est lux spiritalis. Ipse enim est fons et origo omnium sapientiarum, et largitor omnium scientiarum, et doctor et interpres omnium difficilium, et expositor omnium absconditorum et secretorum ignorantiae, et revelator et confutator et dissipator omnium tenebrarum erroris filii perditionis. In eo et per eum manifestata sunt nobis omnia mysteria abscondita, et exposita sunt nobis omnia difficilia et omnia aenigmata, et in eo et per eum cognovimus Patrem. Ipse per seipsum nobis *manifestavit et revelavit et explicavit nosque p. 205. docuit se esse coessentialem Patri et ab aeterno natum esse ex eo, id est, ex natura eius. Ipse nos docuit nobisque declaravit Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, hypostatice de Patre procedere, et unam esse naturam Trinitatis adorandae, tres hypostases aeternas in una essentia sublimi, per quam omnia creata sunt et facta et constituta, et reguntur et renovantur et perficiuntur in una virtute, et una voluntate, et potestate, et dominatione aeterna.

Rursus, haec Lux de luce a beato Paulo, qui lucem eius vidit, appellata est Splendor, sicut vocata est Verbum a beato Iohanne evangelista, cui revelata sunt mysteria eius. Et sensus utriusque appellationis unus est, et rationalia ad aliquid unum ineffabile ascendere facit, sicut et unus est Spiritus qui per illos duos beatos apostolos, columnas mundi lucidas, nobis locutus est, et revelavit, et manifestavit, et declaravit prodigiosa et mirabilia

ad vitam nostram divinam. Etenim verbum non est absque anima et vita, nec lux et sol absque splendore et calore. Hoc est quidem indicium significans unam naturam aeternam esse in Trinitate aeterna, et per modum causae et effectuum, et non esse *in ea* prioritatem nec posterioritatem, sicut sol non est prior splendore, nec splendor posterior sole ex quo in uno ictu oculi *oritur*. Et quemadmodum beatus Iohannes, postquam scripsit: « In principio erat Verbum [1] », ne Deus Verbum existimaretur esse virtus et operatio et actio non subsistens — sicut verbum nostrum ex anima, quod est virtus et operatio animae, — post hoc: « Verbum erat apud Deum », subiunxit illud: « Deus erat Verbum », id est, hypostasis Deus Filius sicut hypostasis Deus Pater, et non solum ex natura eius, sed
p. 206. etiam: « Hic *erat in principio apud Deum », etc.; sic et beatus Paulus fecit. Etenim postquam dixit: « Ipse est Splendor gloriae eius », ne audientes putarent eum esse tanquam virtutem et operationem non subsistentem, sicut splendorem ex igne et sole dum una sunt natura, perrexit explicare, dicens: « Et imago substantiae eius [2] ».

Ille Splendor autem appellatur Imago, non tanquam imago repraesentativa tantum, nec tanquam illud quod dictum est de humanitate eius secundum unionem: « Ipse est imago Dei invisibilis [3] »; sed *Paulus* Imaginem appellavit hypostasim Filii, Filium coessentialem Patri. Sicut dictum est de Adam: « Genuit in similitudine sua iuxta imaginem suam [4] », quod et docuit non solum similitudinem sed etiam hypostasim subsistentem, similem et coessentialem genitori suo, eiusdem modi est illud: « Imago substantiae et hypostasis eius [5] ». Quidquid enim Pater et Spiritus per naturam habent, Filius etiam habet per naturam, praeter id quod ad Genitorem et Procedentem pertinet, quia hic genitus est, ille vero genuit, Spiritus autem procedit, id est, tres sunt hypostases cum proprietate personarum suarum, una essentia unica, una natura aeterna, quae revelata est et agnita ad vitam nostram veram.

Rursus, Imago Patris appellatur Vita, quia ipsa est vivens ab aeterno in seipsa sicut Pater, et fons est vitae, et causa

[1] Ioh., I, 1. — [2] *Hebr.*, I, 3. — [3] *Col.*, I, 15. — [4] *Gen.*, V, 3. — [5] *Hebr.*, I. 3.

omnium rerum animatarum. Cetera enim, quemadmodum existentiam, cum non essent, voluntate eius receperunt, sic acceperunt ut vitam haberent. Ipsa autem per essentiam suam non solum est vivens et fons vitae, sed etiam omnia, sicut vult, vivificat, quemadmodum dictum est: « Ego occidam et ego vivere faciam [1] », et: « Vocavit ea quae non sunt tanquam ea quae sunt [2] ». Ipsa dedit et dat halitum vitae omnibus naturis, et movet, et regit, et conservat, et confortat ea, quibus vitam dedit, ut vivant, sicut dictum est: « In ipso vivimus, et movemur, et sumus [3] », *et: « Sicut Pater suscitat mortuos et p. 207. vivificat illos, ita et Filius quos vult vivificat [4] », et: « Vita manifestata est [5] ». Iterum, quemadmodum anima rationalis vivificat, et movet, et conservat, et operatur, et agit, et regit in corpore, in partibus eius et in toto, per virtutem e factore suo acceptam, et *corpus* sine illa nihil est nisi mortuum *et* insensibile, sic sine Deo qui vivificat, et regit, et conservat, et operatur, et movet, et agit, et dirigit, et tenet totum et partem, creatura nihil est in essentia et vita sua, sicut dictum est: « Omnia ex ipso, et omnia in ipso, et omnia per ipsum [6] », etc.

Rursus hic Fons vitae appellatus est etiam Forma Dei, quia in omnibus est forma Dei Patris in iis quae habet, sive aeternitatem, sive infinitatem, sive virtutem, sive potestatem, sive dominationem, sive id quod ipse ex illo, id est, ex natura eius ab aeterno natus est, sicut filius ex patre. Etenim omne natum secundum naturam consubstantiale est et simile genitori suo, iuxta illud Adami quod dictum est: « Genuit in similitudine sua [7] ». Considera, quaeso, quomodo beatus Paulus nos mirifice docuerit. Non enim dixit: Ille qui « fuit » forma; sed quid? Ille qui « est » *forma* [8], ut diceret eum ab aeterno esse in forma Dei, id est, Deum Filium secundum hypostasim sicut Deum Patrem, non scilicet quasi delineationem aut sigillum aut figuram materialiter haberet sicut forma humana, ut senserunt Audiani [9] inepti et alii haeretici Filium habere corpus

[1] *Deut.*, XXXII, 39. — [2] *Rom.*, IV, 17. — [3] *Act.*, XVII, 28. — [4] IOH., V, 21. — [5] I IOH., I, 2. — [6] *Rom.*, XI, 36. — [7] *Gen.*, V, 3. — [8] *Philipp.*, II, 6. — [9] De Audianis, cf. EPIPHANIUS, *Adv. haereses*, *P. G.*, t. XLII, col. 339; HOFFMANN, *Auszüge aus syrischen Akten persischer Märtyrer*, p. 122; THEOD. BAR KŌNĪ, *Liber Schol.*, C. S. C. O., Script. Syri, ser. II, t. LXVI, p. 319.

et delineationem et sigillum et esse similem Patri modo materiali et corporeo. Res non ita se habet. Deus Verbum enim est spiritus infinitus sicut Pater et sicut Spiritus sanctus; nam p. 208. Paulus Verbum non vocavit corpus *aut sigillum aut delineationem, sed formam Patris, ut ostenderet eum esse coessentialem Patri, sicut dixi, et consubstantialem et similem ei secundum hypostasim suam, quemadmodum filius ex patre similis est patri, genitori suo, et omnia patris in seipso habet praeter proprietatem personalem genitoris.

Itaque Deus Verbum, etiam ante oeconomiam suam in corpore, haec nomina propria et significationes eorum hypostatice habuit.

Rursus, Forma Dei vocatur Rex, quia ipse est rex verus, sicut dictum est: « Rex regum et Dominus dominorum [1] »; et: « Rex totius terrae Deus est; cantate ei laudem [2] ».

Rursus, hic Rex verus appellatur Sanctus, quia ipse solus est immutabilis, quemadmodum dictum est per prophetam: « Sanctus et laudabilis [3] ». Rursus, *appellatur* Iustus et Sanctus et Salvator [4].

Nunc ex ordine dicemus de nominibus oeconomiae Domini nostri in corpore.

De Nominibus Oeconomiae. — Ab oeconomia vero et deinceps, quae sint nomina naturae eius humanae in unione, et quae sint nomina ex persona ipsius unionis, et quae *adhibeantur* propter actiones et similitudines, etc., dicemus paucis verbis, in virtute Dei, ad illustrandam veritatem et corripiendos Theopaschitas, et eos qui negant assumptionem capitis generis nostri, et eos qui miscent et confundunt naturas una commixtione naturali et hypostatica, ad interitum vitae suae.

Appellatur enim Christus, Filius Dei, et secundum ordinem nominum, quae supra iam disposuimus, — primum omnium, antequam conciperetur et nasceretur, — et secundum nomen ei a Gabriel prius impositum, id est, Iesus, quod denotat appellationem propriam hypostasis eius humanae in unione, quae hypostasis ex natura beatae Virginis, sanctae Mariae, sumpta p. 209. est, *et* formata est unitive a Spiritu *sancto, in qua ab initio

[1] I *Tim.*, VI, 15. — [2] *Ps.* XLVI, 8. — [3] *Ps.* XCVIII, 9. — [4] Cf. Is., XLV, 21.

formationis eius Deus Verbum habitavit sicut in templo unitive, et eam fecit secum unum Filium in aeternum: « Concipies utero, et paries filium, et vocabitur nomen eius Iesus; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur [1] », ut diceret eum futurum esse per unionem cum Filio Altissimi unum Filium Altissimi, sicut panis sacramentalis et corpus dominicum sunt unum corpus; « et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius [2] », id est, in unione. Equidem in natura sua humana est filius David et ex genere eius; per unionem autem et adhaesionem cum Deo Verbo, Filio aeterno Altissimi, est unus Filius Altissimi in una dominatione. Etenim etsi id nomen « Iesus Salvator » significat id quod futurum erat, nomen tamen est hypostasis eius humanae, quemadmodum filius Iosedec appellatus est Iesus [3], et quemadmodum dictum est ad pastores: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Dominus Christus, in civitate David [4] ». Salvator enim non natus est absque hypostasi humana, neque Iesus operationem tantum denotat absque hypostasi humana, ut interpretatus est Ḥanana adiabenus, renovator haereseon multarum.

« Christus » autem est nomen personae unionis et oeconomiae duarum naturarum, quae servant proprietates suas in una indissolubili adhaesione divinitatis et humanitatis eius. Nomen enim « Christus » ad humanitatem eius unitam proprie pertinet, sicut nomen proprium « Filius » ad divinitatem Christi. Humanitas eius enim a Spiritu sancto uncta est ut esset per unionem unus Filius cum Filio aeterno ab initio formationis illius, qui secundum ordinem suum perfectus est.

Verumtamen, quemadmodum unitae sunt naturae in una adhaesione unius personae filiationis, unita sunt etiam nomina in hac una persona Christi, etsi in hac *unione cognoscitur p. 210.
quae nomina sint divinitatis Christi et quae sint humanitatis eius in una filiatione. Nomina quidem « Unigenitus et Dominus gloriae » aeterno ad Deum Verbum pertinent, per unionem autem etiam ad humanitatem eius; nomina « Iesus et Filius hominis » proprie sunt proprietas naturae humanae Christi, per unionem vero pertinent etiam ad Deum Verbum. *Sunt* autem *nomina* personae unionis unius *subiecti* una cum indicatione natura-

[1] Luc., i, 31-32. — [2] Luc., i, 32. — [3] Zach., vi, 11. — [4] Luc., ii, 11.

rum, v. gr. « Ex eis est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia [1] »; et: « Hoc sentite in vobis quod et Iesus Christus [2] »; et: « Iesus Christus, heri et hodie, ipse est in aeternum [3] ». Haec nomina sunt personae unionis duarum naturarum quae servant proprietates suas in una adhaesione filiationis in aeternum.

Rursus, appellatus est etiam Infans, ut agnoscerentur omnes proprietates aetatis humanitatis eius quas possidebat secundum naturam suam, quia recenter in mundum intravit: « Cum introducit primogenitum in mundum [4] » etc.; et: « Invenietis infantem involutum pannis, et positum in praesaepio [5] » etc.

Rursus, vocatur et Primogenitus propter unionem idem triplici modo, sicut supra diximus, verumtamen non secundum eamdem rationem. Uno modo quidem, quia aperuit vulvam clausam matris suae quae naturaliter et virginaliter obsignata erat: « Omne primogenitum adaperiens vulvam sanctum Domini vocabitur [6] »; et: « Peperit filium suum primogenitum [7] ». Item, vocatur Primogenitus in humanitate sua unitive, quia ipse primus surrexit a mortuis per virtutem divinitatis quae in eo erat, et primum dolores inferni solvit ad immortalitatem et immutabilitatem, et factus est in vita nova. Est autem primogenitus ex mortuis in humanitate sua, non in divinitate sua quae primum suscitavit templum suum: « Solvite templum hoc,
p. 211. et in tribus diebus ego excitabo illud; ille autem dicebat *de templo corporis sui [8] ». Et beatus Paulus dixit in Actibus: « Promissionem factam ad patres nostros ecce adimplevit Deus nobis, filiis eorum, quod suscitaverit Iesum, iuxta illud quod scriptum est in psalmo secundo: Filius meus es tu, et ego hodie genui te [9] ». Iterum dicit in epistula ad Colossenses: « Ipse est caput Ecclesiae, qui est principium et primogenitus ex mortuis ut sit primus in omnibus [10] ». Adhuc, appellatur Primogenitus omnium creaturarum, quia per eum renovata sunt, sicut in principio, omnia in caelo et in terra, quemadmodum beatus Paulus dixit: « Ille qui est forma Dei invisibilis et primogenitus omnium creaturarum [11] », etc.

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] *Philipp.*, II, 5. — [3] *Hebr.*, XIII, 8. — [4] *Hebr.*, I, 6. — [5] Luc., II, 12. — [6] Luc., II, 23. — [7] Luc., II, 7. — [8] Ioh., II, 19-21. — [9] *Act.*, XIII, 32-33. — [10] *Col.*, I, 18. — [11] *Col.*, I, 15.

Rursus, vocatur Emmanuel, sicut scriptum est: « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur: Nobiscum Deus noster [1] ». Ergo etiam hoc nomen denotat duas naturas unionis, divinitatis et humanitatis Christi in una adhaesione, quae *unio* ab utero facta est, quia Deus Verbum, in initio formationis humanitatis eius, in eo habitavit sicut in templo et unitive, in una filiatione in aeternum. Hoc enim sibi vult illud: Nobiscum Deus noster, id est, cum natura nostra quam ad personam suam assumpsit ut in ea habitaret et revelaretur, et esset cum ea in una indissolubili adhaesione, cuique dedit omnia sua unitive praeter naturam suam propriam. Et *Scriptura* etiam per hanc vocem « Nobiscum » ostendit fieri non posse ut unio sit naturalis et hypostatica, nec mixtio, nec confusio, sed proprietas servans naturas in una adhaesione. Itaque fieri nequit ut unus et ille, qui nobiscum est, sit una natura et una hypostasis. Ergo servantur naturae in proprietatibus suis, in una adhaesione assumentis et assumpti quem *assumens* sumpsit et sibi coniunxit et fecit secum unum Filium per unionem in aeternum.

Rursus, appellatus est Puer, propter *progressum aetatis p. 212. suae: « Iesus puer proficiebat, et confortabatur Spiritu, et replebatur sapientia, et gratia Dei erat super illum [2] », etc. Non enim in divinitate sua perfectissima proficiebat, sed in humanitate sua unita.

Rursus, vocatur Vir, quia in humanitate sua unita vere est vir completus secundum staturam, et quia progressus est et pervenit ad perfectionem et mensuram staturae humanae viri triginta annorum: « Ipse Iesus erat quasi annorum triginta [3] », etc., et: « Quaeritis me interficere, virum qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Patre meo [4] ». Et beatus Paulus dixit: « Statuit diem quo iudicaturus est terram universam cum aequitate, per virum quem definivit, et convertit unumquemque hominem ad fidem eius, excitando ipsum a mortuis [5] »; quod et per unionem intellexit. Item dictum est: « Quis est vir quoniam memor eius fuisti? [6] » et: « Vir dolorum, et cognoscens passiones [7] ».

[1] Matth., I, 23. — [2] Luc., II, 40. — [3] Luc., III, 23. — [4] Ioh., VIII, 40. — [5] *Act.*, XVII, 31. — [6] *Ps.* VIII, 5. — [7] Is., LIII, 3.

Rursus, vocatur Homo et Filius hominis, quia revera est filius hominis unitive in natura sua humana, ex semine domus David et ex Maria Virgine, hypostasis completa in anima rationali et in corpore et in omnibus suis, quae unitive adhaeret Deo Verbo, id est, Filio aeterno, in una persona filiationis, quia *Filius* illum *hominem* ad personam suam sumpsit ut in eo revelaretur: « Manifestatus est in carne [1] », et ei dedit sua unitive, non autem secundum naturam, et sumpsit quae eius sunt ut appellaretur homo et filius hominis secundum personam, non autem secundum naturam. Sed ab unione et adhaesione, vicissim assignantur nomina huius illi et nomina illius huic, hoc et illo unitive manentibus: « Filius hominis qui est in caelo [2] », id est, Deus Verbum, qui ad personam suam personaliter sumpsit nomen humanitatis propter unionem cum illo
p. 213. *homine*, quanquam *proprietas et appellatio nominis ad naturam humanam pertinent, quemadmodum nomina propria, Filiatio, Unigenitus, Dominus gloriae, ad naturam divinam eius pertinent. Et sicut una est persona unionis duarum naturarum, ita una est persona etiam nominum, servatis proprietatibus divinitatis et humanitatis eius in unione: « Unus est Deus, et unus est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus [3] », et: « Per hominem mors, et per hominem vivificatio mortuorum [4] », et: « Homo secundus in spiritum vivificantem [5] », et: « Tradent Filium hominis in manus peccatorum, et occident eum, et tertio die resurget [6] ».

Rursus, idem in unione vocatur Filius Altissimi, propter adhaesionem et per assumptionem personalem et nomen quod hereditate accepit supra omnia nomina. Et unus est Filius Altissimi, assumens et assumptus, in una persona; et unus est Filius hominis secundum naturam et assumptionem personalem, non autem duo. Secundum naturam quidem, Deus Verbum est Filius Altissimi ab aeterno; per unionem autem cum eo, etiam humanitas eius vocata et appellata est Filius Altissimi, et haec ad eum pertinet assumptive, unitive, in una unitate unius Christi, Filii Dei, in una adhaesione indissolubili. Argumentum ergo optime elaboretur ad correptionem haere-

[1] I *Tim.*, III, 16. — [2] Ioh., III, 13. — [3] I *Tim.*, II, 5. — [4] I *Cor.*, XV, 21. — [5] I *Cor.*, XV, 45. — [6] Matth., XX, 19.

ticorum. Secundum naturam quidem, Christus ex Maria est homo et filius hominis; per unionem autem et ex persona oeconomiae, Deus Verbum, Filius Altissimi, vocatus est filius hominis et Iesus, non secundum naturam, sed secundum nomen, et assumptionem personalem, et unionem, et habitationem: « Forma Dei formam servi sumpsit [1], et factus est in similitudinem hominum, et habitu inventus est ut homo [2] », non autem « factus est » homo. Formam sumpsit, non autem forma factus est. In similitudinem factus est, non autem natura humana factus est. Ratione autem unionis, sicut dixi, *quem- p. 214.
admodum unitae sunt naturae ad unam personam oeconomiae, servatis proprietatibus suis absque confusione, sic unita sunt personaliter etiam nomina naturarum, quae sua vicissim commutant, non secundum naturam, sed in assumptione personae unitae: Filius Altissimi est filius hominis, et filius hominis est Filius Altissimi, propter unionem enim et adhaesionem et habitationem, dum Filius Altissimi manet in suis naturaliter et homine suo indutus est, et est cum eo in unione unus Filius Altissimi; et homo Domini nostri est homo secundum naturam suam in ipsa unione. Et *Verbum*, quoniam eum sibi univit ab utero et fecit secum unum Filium in aeternum, sibi sumpsit etiam nomina eius humilia ut in unione cum illo appellaretur uno nomine, et etiam homo: « Filius hominis qui est in caelo [3] ». Non enim divinitatem suam infinitam vocavit filium hominis, nec humanitas eius erat in caelo cum ipse haec verba diceret, sed *dicta sunt* ratione unionis et nominum quae facta sunt communia, sicut hoc: « Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius [4] », et: « Nemo ascendit in caelum nisi ille qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo [5] ». Et *divinitas et humanitas* unitae sunt et distinctae in uno nomine personali. Etenim « ascendit » pertinet ad humanitatem eius unitive, et « descendit » ad divinitatem eius, non per discessum, sed quia in humanitate sua fuit, propter unionem,

[1] Insolens est usus auctoris qui vocem ܕܡܘܬܐ « forma » in genere masculino adhibet; forsan ad analogiam vocum ܡܠܬܐ et ܪܘܚܐ quae mascul. gen. sunt cum designant Verbum et Spiritum sanctum. Sed non deerit qui malit subaudire: *Is qui erat* forma Dei, sumpsit etc. — [2] Cf. *Philipp.*, II, 6-7. — [3] Ioh., III, 13. — [4] Ioh., VI, 63. — [5] Ioh., III, 13.

in tanta humiliatione stupenda, ut ad personam suam sumpserit formam servi, et in eo revelatus est in omnibus rebus huius oeconomiae stupendae, et quia reputabatur caro et homo, dum *homines* nesciebant divinitatem eius unitive in humanitate eius habitare, sicut dixit: « Vos secundum corpus iudicatis [1] »; et illud: « Filius hominis qui est in caelo [2] », de infinitate divi-
p. 215. nitatis, quae est in terra et in caelo, declaravit. Et sicut *humanitas eius est cum ipso unus Filius unigenitus et Dominus gloriae propter unionem, ita et ipse appellatus est filius hominis secundum unionem, non secundum naturam.

Rursus, ipse in humanitate sua appellatus est Sacerdos, quia per eum in uno spiritu accessimus ad cognitionem veritatis, et ipse eripuit nos de potestate tenebrarum, et adduxit nos ad veram familiaritatem, et sustulit peccatum et affixit illud cruci suae, et dedit nobis propitiationem et redemptionem in sanguine suo, et ab eo datum est summum sacerdotium in Ecclesia ipsius: « Pasce oves meas [3] », etc. Et beatus Paulus in epistula ad Hebraeos dicit: « Quemadmodum facta est mutatio in sacerdotio, sic facta est mutatio etiam in lege. Is enim, de quo haec dicta sunt, de alia tribu natus est, de qua nemo umquam altari ministravit. Manifestum est enim de Iuda ortum esse Dominum nostrum, ex tribu de qua nihil locutus est Moyses circa sacerdotium. Eoque magis adhuc notum est quia dixit: In similitudinem Melchisedech surgit sacerdos alius qui non factus est iuxta legem mandatorum corporalium, sed per potentiam vitae insolubilis [4] ». Iterum ait: « Caput autem horum omnium *est quod* habemus summum pontificem, qui sedet ad dexteram throni maiestatis in caelo, et factus est minister sanctuarii et tabernaculi veri, quod fixit Deus, non homo [5] ». Rursus dixit: « Nunc vero praestantius ministerium quam illud accepit Iesus Christus [6] ». Iterum dixit: « Christus autem, qui venit, factus est summus pontifex bonorum, quae fecit, et ingressus est in tabernaculum magnum et perfectum quod non fuit manufactum, nec ex hisce creaturis. Neque ingressus est per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per sanguinem sui ipsius ingressus est semel in sanctuarium et invenit redemptio-

[1] Ioh., viii, 15. — [2] Ioh., iii, 13. — [3] Ioh., xxi, 17. — [4] *Hebr.*, vii, 12-16. — [5] *Hebr.*, viii, 1-2. — [6] *Hebr.*, viii, 6.

nem aeternam. Si enim sanguis hircorum et vitulorum et cinis iuvencae spargebantur super eos qui impuri erant, et sanctificabant eos ad purificationem carnis ipsorum, *quanto magis p. 216. igitur sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ut serviamus Deo viventi. Propter quod ipse factus est mediator novi testamenti, quia per mortem suam factus est redemptio iis qui transgressi fuerant prius testamentum, ut plenitudinem accipiant qui vocati sunt ad hereditatem aeternam [1] ». Adhuc ait : « Non enim in sanctuarium manufactum ingressus est Christus, quod est similitudo veri illius, sed in caelum ingressus est, ut appareat ante faciem Dei pro nobis. Non quidem ut offerat semetipsum pluries, sicut faciebat summus pontifex qui introibat quolibet anno per sanguinem non suum ; alioquin debebat pluries pati ab initio mundi. Nunc autem in fine mundi semel obtulit seipsum immolatione sui ipsius ut auferret peccatum [2] », etc. Ecce evidens est et notum et clarum sapientibus et peritis Scripturarum haec humanitati Christi propter unionem convenire, non divinitati eius. Etenim Deus Verbum sanguinem non habet, quia spiritus est ; neque recenter in caelum ingressus est, quia infinitus est et caelum terramque implet sicut Pater et sicut Spiritus sanctus. Et fieri non potest ut una natura et hypostasis offerat sibi hostiam et ipsa eamdem hostiam sibi accipiat, quemadmodum templum non potest esse cum habitatore suo una natura et una hypostasis, etsi duae naturae Christi agnoscuntur in una persona unitive, sine confusione et in aeternum.

Rursus, appellatus est Filius David propter promissiones ad David factas, et quia in humanitate sua revera est ex semine et genere David, sicut dictum est : « Filius David, filius Abraham [3] », et secundum testimonium beati Pauli in Actibus : « Inveni David, filium Iesse, *virum secundum cor meum, qui p. 217. faciet omnes voluntates meas. Ex semine huius suscitavit Deus Israeli, sicut promiserat, Iesum Salvatorem [4] ». Et in epistula ad Timotheum dicit : « Memor esto Iesum Christum surrexisse a mortuis, qui est ex semine David secundum evangelium

[1] *Hebr.*, IX, 11-15. — [2] *Hebr.*, IX, 24-26. — [3] Matth., I, 1. — [4] *Act.*, XIII, 22-23.

meum [1] ». Et cum sanctus Gabriel nuntiaret beatae Mariae eamque doceret quod *filius* per Spiritum sanctum ex ipsa formaretur, ibi verba subiunxit, iuxta promissa et consilia antiqua: « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius [2] », quamvis *Christus* ex genere eius natus sit post multas generationes; sed erat mos Scripturae divinae filios vocandi ex genere, v. gr.: Zorobabel cognominatus est filius David [3], et *Iudaei appellantur:* Filii Abraham [4], et: Filii Iacob [5]; et: « Ioseph, fili David [6] », etc.

Et appellatus est etiam Rex, quia ipse revera est rex et Rex regum in saecula saeculorum, in divinitate sua ab aeterno, et in humanitate sua propter unionem huius cum ipso, sicut dictum est de natura divina: « Rex regum et Dominus dominorum, qui solus est incorruptibilis, et habitat in luce ad quam nemo accedere potest; quemque nemo ex hominibus vidit nec videre potest [7] »; et: « Rex totius terrae Deus est; cantate ei laudem [8] ». Haec et similia pertinent ad divinitatem eius cum Patre et cum Spiritu sancto, quia ipsius est potestas aeterna et regit creaturas suas sicut vult; propter unionem autem, pertinent etiam ad humanitatem eius cum ipso, sicut dictum est: « Non recedet sceptrum de Iuda nec expositor de inter pedes eius, donec veniat is cuius est regnum [9] »: et: « Erumpe et laetare, filia Sion, quia ecce rex tuus venit tibi iustus et salvans et humilis, sedens super asinum et super pullum, filium asinae [10] »; et illud alterum Michaeae prophetae: « Et tu,
p. 218. *Bethlehem Iuda, nequaquam minima es inter reges Iuda; ex te enim egredietur rex qui pascat populum meum Israel [11] »; et illud beati Danielis: « Adspiciebam, super nubes caeli quasi Filius hominum venit et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et dominationem et honorem, ut omnes populi, nationes ac linguae, servirent ei [12] »; et: « Ad adventum Christi regis [13] », etc. Et Dominus noster dixit discipulis suis: « Vos estis qui per-

[1] II *Tim.*, II, 8 — [2] Luc., I, 32. — [3] Locum in scripturis non invenio; fortasse ad apocryphos libros alludit, aut ad quamdam allegoricam interpretationem. — [4] Cf. Ioh., VIII, 37. — [5] Mal., III, 6. — [6] Matth., I, 20. — [7] I *Tim.*, VI, 15-16. — [8] *Ps.* XLVI, 8. — [9] *Gen.*, XLIX, 10. — [10] Zach., IX, 9. — [11] Mich., V, 2. — [12] Dan., VII, 13-14. — [13] Dan., IX, 25.

mansistis in tentationibus meis; et ego promitto vobis, sicut promisit mihi Pater meus, regnum [1] ». Rursus, dixit ad iudicem iniquum: « Regnum meum non est hinc [2] », etc.

Rursus, vocatus est Dominus, quia dominus est omnium creaturarum per unionem suam cum Deo Verbo, sicut dictum est pastoribus ab angelo: « Natus est enim vobis hodie Salvator, qui est Dominus Christus, in civitate David [3] ». Et beatus Petrus dixit: « Dominum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis [4] ».

Rursus, appellatus est Propheta, sicut dixit Moyses: « Prophetam de fratribus vestris sicut me suscitabit Dominus Deus [5] ». Hoc quidem ipse adimplevit, quia manifestavit et revelavit nobis finem mundi huius, et mysteria mundi futuri, et bona sanctis reservata, et poenam iniquorum, et quomodo Evangelium suum per universum mundum praedicabitur, et persecutiones et afflictiones futuras praedicatorum suorum, et adventum Seductoris [6], et cetera quae facienda erant in oeconomia sua, et quomodo faciet adventum suum, et quae fient hoc tempore, et resurrectionem universalem, et cetera huiusmodi.

Rursus, appellatus est Adam, quia revera homo est secundum naturam in omnibus suis sicut Adam, praeter illud quod unitus est et est in ordine divinitatis propter *naturam divi- p. 219.
nam quae in ipso habitat. Et quemadmodum Adam a Deo formatus est de terra sine concubitu, et factus est in animam viventem, et appellatus est imago Dei, sic Adam secundus, id est, Christus in carne, per Spiritum sanctum formatus est sine concubitu de terra viventi, beata Maria, Virgine sancta; et una cum formatione eius Deus Verbum in eo unitive habitavit; et ille, qui secundum ordinem suum perfectus est, factus est cum anima viventi, immo factus est in spiritum vivificantem post resurrectionem suam: « Animale, et demum spiritale [7] »: et ipse est imago Dei invisibilis cum omnimoda perfectione in omnibus, quae exemplar ipsius possidet, praeter naturalem proprietatem divinitatis quae in eo est, verumtamen non cum distantia, ad manifestationem tantum, sed cum habitatione unita unius personae Christi, Filii Dei, sicut dixit beatus Paulus:

[1] Luc., xxii, 28-29. — [2] Ioh., xviii, 36. — [3] Luc., ii, 11. — [4] *Act.*, ii, 36. — [5] *Deut.*, xviii, 15. — [6] Id est, Antechristi. — [7] 1 *Cor.*, xv, 46.

« Factus est Adam, homo primus, in animam viventem, et novissimus Adam in spiritum vivificantem [1] »; scilicet quemadmodum ergo Adam primus fuit pater mundi mortalium, ita et Christus in carne, id est, Adam novus, factus est per unionem pater mundi futuri: « Hunc signavit Deus [2] », etc. Etenim quicumque in Christo est, est nova creatura: et ex carne eius sumus et ex ossibus eius per naturam eius humanam, et ex plenitudine eius omnes accepimus. Et quemadmodum omnes homines mortales pars quaedam sunt ex Adam, ita pars spiritalis ex Christo, vita vera immortalis, est omnibus hominibus: « Per hominem mors, et per hominem vivificatio mortuorum [3] ». Et quemadmodum induimus formam huius terreni mortalis, sic induemus formam eius qui de caelo unitive venturus est cum immortalitate et incorruptibilitate, et cum eo in caelo habitaturi sumus qui digni sumus misericordia: « Ecce ego et filii
p. 220. quos dedit mihi *Deus [4] ».

Rursus, etiam in humanitate sua unitive appellatus est Imago et Forma Dei, sicut dictum est: « Eripuit nos de potestate tenebrarum et adduxit nos in regnum Filii Dei, in quo habemus redemptionem et in sanguine eius remissionem peccatorum, qui est forma Dei invisibilis et primogenitus omnium creaturarum [5] »; et: « Signavit eos similitudine imaginis Filii sui ut is sit primogenitus fratrum multorum [6] ». Ipse enim revera est, ut supra diximus, imago et forma Dei invisibilis in omnibus suis, non quidem absque unione, sicut Adam, pater natorum, appellatus est imago et forma propter vinculum tantum omnium creaturarum, sed hic in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ibi enim Adamo datum est ut esset imago, sed non per unionem, nec formam et imaginem Adami Deus ad personam suam unitive sumpsit; hic autem, forma Dei formam servi sumpsit, et forma servi per unionem accepit omnia divina Verbi, quod in ipsa sicut in templo habitat, *scilicet* filiationem, dominationem, potestatem, virtutem, sapientiam, et, ut brevi dicam, omnia exemplaris sibi uniti praeter naturam eius, sicut dixit beatus Paulus: « Datum est illi nomen excellentius omnibus nominibus [7] », etc. Adam enim terrenus imaginem

[1] I *Cor.*, XV, 45. — [2] IOH., VI, 27. — [3] I *Cor.*, XV, 21. — [4] Is., VIII, 18. — [5] *Col.*, I, 13-15. — [6] *Rom.*, VIII, 29. — [7] *Philipp.*, II, 9.

transgressione mandati corrupit, et mortem sibi carpsit; et inquinata est imago, et solutum est vinculum, et corrupta est forma. Per Christum autem, qui in carne est, congregatae sunt et coniunctae et unitae omnes creaturae ad unum vinculum, in uno amore et consensu, in una incorruptibilitate et scientia perfecta et infallibili. Et renovata est imago, et splenduit pulchritudo eius, et illuxit venustas eius, et in ipsa exemplar manifestatum est cum omnibus suis, et unitum est et coniunctum mysterium populi et gentium simul, et hominum et angelorum: *« Per ipsum factus est accessus utrique per unum p. 221. Spiritum ad Patrem [1]; ut duos conderet in semetipso in unum hominem novum [2] ».

Rursus, appellatus est Iustus et Sanctus, quemadmodum dixit beatus Petrus ad Iudaeos impios: « Vos iustum et sanctum negastis, et petistis virum homicidam dari vobis, et illum principem vitae interfecistis quem Deus suscitavit a mortuis [3] ». Itaque vocatus est et est Sanctus, quia ipse revera sanctus est et sanctificator et largitor sanctitatis cum omni munditia et puritate; et cum formatione eius fuit sanctitas ipsius, sicut dictum est: « Is qui nasciturus est ex te sanctus est, et Filius Dei vocabitur [4] »: et: « Quem Pater sanctificavit et misit in mundum [5] »; et sicut dixit beatus Paulus: « Qui sanctificavit et qui sanctificati sunt, ex uno sunt omnes [6] ». Etenim ipse, per unionem suam cum sancto Deo Verbo ab utero, habuit sanctitatem excelsissimam, modo singulari et ineffabili, in una sanctitate cum Patre et cum Spiritu sancto, et possedit in semetipso unitive immutabilitatem et incommutabilitatem ex resurrectione mortuorum in omnibus suis sublimibus in aeternum. — Rursus, est Iustus, quia « iniquitatem non fecit nec peccatum inventum est in labiis eius [7] », et: « Quis ex vobis arguet me de peccato? [8] ». Et factus est oboediens usque ad mortem, et implevit omnem aequitatem, et perfecit omnem iustitiam, et solvit debitum totius generis sui, et in fide in seipsum iustificavit peccatores, etc.

Rursus, denominatus est Lapis, quemadmodum dictum est: « Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in

[1] *Eph.*, II, 18. — [2] *Eph.*, II, 15. — [3] *Act.*, III, 14-15. — [4] Luc., I, 35. — [5] Ioh., X, 36! — [6] *Hebr.*, II, 11. — [7] Is., LIII, 9. — [8] Ioh., VIII, 46.

caput aedificii [1] »; et quemadmodum dixit Isaias propheta: « Ecce ponam in Sion lapidem probatum, in angulo pretioso, caput parietis fundamenti; qui crediderit in eum non confundetur [2] ». Item beatus Daniel dixit: « Vidi lapidem abscissum p. 222. *sine manibus [3] » etc.; et quemadmodum dixit beatus Paulus: « Factus est caput anguli aedificii, ipse Iesus Christus [4] » etc.; et quemadmodum etiam ipse Dominus noster dixit: « Quid est quod scriptum est? Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput cornu anguli; et quicumque ceciderit super lapidem istum confringetur, et super quemcumque ille ceciderit dissipabit eum [5] ». In eo enim, quasi in capite anguli, uniti sunt et colligati populus et gentes in una fide et dilectione et scientia infallibili, et aedificati sunt velut aedificium firmum et inconcussum in templum sanctum, iuxta verbum Pauli: « In eo coagmentatur totum aedificium et crescit in templum sanctum in Domino, dum et vos in eo aedificamini in habitaculum Dei in Spiritu [6] ».

Rursus, vocatus est Panis, propter duo: primum, quia vivificat et sustentat; deinde, quia in pane tradidit mysteria sancta quae sunt typus corporis et sanguinis eius et memoriale mortis eius, quemadmodum dictum est: « Accepit panem, et benedixit, et fregit, deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vita mundi frangetur; sic facite, quotiescumque conveneritis, in meam commemorationem [7] »; et: « Panis, quem ego dabo, corpus meum est quod pro vita mundi frangetur [8] ». Et beatus Paulus dixit: « Dominus noster Iesus, in ea nocte qua prodebatur, accepit panem, et benedixit, et fregit, dicens: Sumite, manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis frangetur [9] » etc. Et Dominus noster dixit: « Ego sum panis qui de caelo descendi [10] » — non autem de caelo descendit panis qui est in typum et virtutem —; et sicut dixit: « Panis, quem ego dabo, corpus meum est quod pro vita mundi frangetur [11] ». Ecce compertum est amatoribus veritatis corpus Domini nostri, quod ipse panem denominavit, non de caelo descendisse, sed p. 223. sumptum esse de beata Maria, et formatum esse *et conceptum

[1] *Ps.* CXVII, 22. — [2] IS., XXVIII, 16. — [3] DAN., II, 45. — [4] *Eph.*, II, 20. — [5] MATTH., XXI, 42, 44. — [6] *Eph.*, II, 21-22. — [7] LUC., XXII, 19. — [8] IOH., VI, 52. — [9] I *Cor.*, XI, 23-24. — [10] IOH., VI, 51. — [11] IOH., VI, 52.

per Spiritum sanctum, sine concubitu, sicut dixit Scriptura. Etenim secundum naturam panis, qui super altare ponitur et frangitur, ex tritico est; per orationem autem et supplicationem sacerdotis et illapsum Spiritus sancti accipit virtutem, et fit corpus Domini nostri secundum virtutem et propitiationem et remissionem peccatorum, et est unum corpus cum corpore Domini, quod in caelo est, per unionem, non per naturam; sed panis, in natura sua servatus, est corpus per unionem, et corpus, in natura sua manens, est panis per unionem. Et quemadmodum Filius aeternus est in natura sua Filius, per unionem autem etiam humanitas eius est cum ipso unus Filius, et humanitas eius est homo secundum naturam, et divinitas eius cum illo *homine* propter unionem appellata est Filius hominis, sicut dictum est: « Filius hominis qui est in caelo [1] », et nomine unionis *Filius* dicitur descendisse quia factus est homo et unitus est, ita et de pane sentiendum est, quia per illapsum *Spiritus* factus est corpus Domini nostri per unionem et virtutem et alia cetera, non secundum naturam. Quapropter nomine personae dictum est panem de caelo descendisse cum tamen de caelo non descenderit, nisi nomine unionis eius qui de caelo descendit, non per discessum, sed quia fuit in homine. His vero nominibus unitis et personalibus offenderunt excaecati, et confuderunt et miscuerunt et corruperunt naturas et typos naturarum. Ut summatim dicam, res ita se habet: Panis est corpus per unionem, non per naturam, et corpus est panis per unionem, non per naturam; et corpus, id est, homo Domini nostri est Filius per unionem cum Filio, unus Filius, non per naturam; et Deus Verbum est cum humanitate sua, quam ad personam suam assumpsit, Filius hominis per unionem, non per naturam.

Rursus, appellatus est Vitis, sicut ipse dixit: « Ego sum vitis et vos palmites [2] »; et iterum: « Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est; et omnem *palmitem, qui in me p. 224.
fructus non edit, tollet [3] ». In hoc quidem loco ipse nobis ostendit et exposuit se esse consubstantialem apostolis et ceteris hominibus in corporeitate sua; agricolam vero appellavit divinitatem suam cum Patre et cum Spiritu sancto. Et quemadmodum agri-

[1] Ioh., iii, 13. — [2] Ioh., xv, 5. — [3] Ioh., xv, 1-2.

cola et vitis una natura esse non possunt, sic divinitas et humanitas Christi una natura esse non possunt.

Rursus, denominatus est Via, quia ipse viam veritatis nobis calcavit et complanavit et monstravit, ut per eam curramus ad vitam beatam et veram, et veniamus ad cognitionem divinitatis: « Nemo venit ad Patrem meum nisi per me [1] » id est per humilitatem, per abnegationem, per abstinentiam, per mansuetudinem, per benignitatem, per caritatem perfectam ceterasque virtutes, quarum consummatio est fides in ipsum qua accedimus ad cognitionem Trinitatis, sicut dictum est: « Ego sum via, et veritas, et vita [2] ».

Rursus, appellatus est Ostium, sicut ipse dixit: « Ego sum ostium ovium; per me si quis introierit, vivet; et ingredietur, et egredietur, et pastum inveniet [3] ». In eo enim habemus fiduciam et confidentiam introitus ad vitam beatam propter ostium, quod est caro eius. Et ipse aperuit nobis ostium misericordiae et poenitentiae, quod Satanas clauserat sera erroris qui est per transgressionem legis ab Adamo admissam. Hoc quasi in mysterium et promissionem haud frustrandam *dicitur*. Ecce iam ad eum intramus per baptismum sanctum, qui est ostium regni: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, vivet [4] »; et: « Qui non natus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum [5] ». Ergo qui per hoc ostium non intrat, fur est et latro, et in carcerem aeternum detrudetur; qui vero per hoc ostium ingreditur, inveniet gaudium, et laetitiam, et vitam beatam: « Qui in Christo baptizati sunt, induerunt Christum [6] ».

Rursus, denominatus est etiam Agnus, propter passiones quas
p. 225. tulit, et redemptionem quam dedit *ut nos laetificaret, iuxta verbum Isaiae: « Tanquam agnus ad mactationem ductus est [7] », et sicut dixit Iohannes evangelista: « Altera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, et fuit ante me [8] ». Ecce notum est sapientibus quod *Iohannes* humanitatem eius vidit multisque monstravit, non autem divinitatem eius infinitam, quia *Deus* invisibilis est, iuxta verbum ipsius Baptistae: « Deum nemo vidit umquam [9] », et sicut dixit Pau-

[1] Ioh., xiv, 6. — [2] Ioh., xiv, 6. — [3] Ioh., x, 9. — [4] Marc., xvi, 16. — [5] Ioh., iii, 5. — [6] *Gal.*, iii, 27. — [7] Is., liii, 7. — [8] Ioh., i, 29-30. — [9] Ioh., i, 18.

lus: « Quem nemo hominum vidit, nec videre potest [1] »; et *Deus* ad Moysen dixit: « Non videbit me homo, et vivet [2] ». Et nomine humanitatis eius dictum est illud: « Sustulit peccatum et affixit cruci suae [3] », non autem de divinitate eius iuxta impietatem Theopaschitarum. « Etsi enim crucifixus est in infirmitate, surrexit tamen per virtutem Dei [4] ». Et « detraxerunt eum de cruce, et posuerunt in monumento: Deus autem suscitavit illum [5] ». Hoc est quod dixerat: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus ego excitabo illud [6] ».

Rursus, appellatur Pastor, sicut dixit: « Ego sum pastor bonus; et pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Mercenarius autem, qui non est pastor et cuius non sunt oves, cum videt lupum venientem, deserit oves, et fugit [7] »: et: « Animam meam pono pro ovibus meis. Habeo autem et oves alias quae non sunt ex hoc ovili; eas quoque oportet me adducere [8] », id est, eas quae sunt ex gentibus; « et audient vocem meam », id est, doctrinam meam, « et grex totus fiet unus », per fidem et caritatem et scientiam infallibilem. Ipse enim revera est pastor ovium rationalium quas sanguine suo emit, sicut dictum est apud beatum David: « Pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectu *manuum suarum deduxit eos [9] ». p. 226. Ibi autem *haec dicta sunt* de uno populo, quasi in mysterio: hic vero, in omni plenitudine boni perfecti. Ipse est revera perfectus, et mitis, et humilis, et innocens, et clemens, et misericors, et plenus omni sapientia, et fons cognitionum verarum et sensuum spiritalium, quemadmodum dictum est: « In eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae [10] ». Ipse est alligator confractorum, et inventor perditorum, et medicus aegrotantium, et reductor errantium. Ipse nos consedere fecit in pratis luxuriantibus, et deduxit nos ad aquas placidas per virtutem et cognitionem veritatis, et laetificavit nos mysteriis suis beatis, et eripuit nos de ore Satanae, leonis feri, et de manu luporum haereticorum, et ecce custodimur intra ovile munitum mandatorum eius propriorum in Ecclesia eius sancta.

Rursus, denominatus est Virga, sicut dictum est apud beatum

[1] I *Tim.*, vi, 16. — [2] *Ex.*, xxxiii, 20. — [3] *Col.*, ii, 14. — [4] II *Cor.*, xiii, 4. — [5] *Act.*, xiii, 29-30. — [6] Ioh., ii, 19. — [7] Ioh., x, 11-12. — [8] Ioh., x, 15-16. — [9] *Ps.* lxxvii, 72. — [10] *Col.*, ii, 3.

David: « Virgam fortitudinis mittet Dominus de Sion, et dominabitur in inimicos eius [1] ». Quid autem faciet virga propter Deum Verbum, qui eam tenet eique unitus est? *David* dicit: « Confringet reges in die irae suae [2] ». Et hoc est quod explicavit beatus Daniel: « Lapis, qui percussit statuam, symbolum regni, et factus est mons magnus [3] ». Item beatus Isaias dixit: « Egredietur virga e trunco Iesse, et surculus de stirpe eius germinabit; et requiescet et consedebit super illum spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellegentiae, spiritus cogitationis et fortitudinis, spiritus scientiae et timoris Domini; nec prout oculi eius videbunt iudicabit, nec prout audient aures eius arguet. Iudicabit in veritate pauperes, et arguet cum aequitate pro egenis terrae; percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impios. Erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides zona *laterum eius [4] ». p. 227.

Haec sunt igitur, summatim, nomina, appellationes et cognominationes, quibus denominatus est Christus, Filius Dei, in divinitate et in humanitate sua, tanquam ad illuminationem indoctorum et correptionem haereticorum. Quamvis autem diversa sint, et cognoscamus quae sint naturae eius divinae, et quae sint naturae eius humanae, et quae sint assumptionis personae utriusque, attamen non *dicuntur* secundum distantiam, nec secundum divisionem, nec secundum distinctionem haud unitam, sed in una adhaesione unius Domini: « Iesus Christus, heri et hodie: ipse est et in saeculum [5] ». Ipsi et eius Patri et Spiritui sancto sit laus, et gratiarum actio, et honor, et adoratio, in saeculum saeculorum. Amen.

Caput vigesimum primum: De hoc: Quid nobis significent haec nomina et aliae appellationes, id est, assumptio, habitatio, templum, vestimentum, adhaesio, et unio?

Nunc dicemus, in virtute Christi, quae comitatur miseriam nostram et ignorantiam nostram vilem ad adimplendum in nobis voluntatem eius, per gratiam eius et fiduciam nostram in ipsum, de illis nominibus et ceteris aliis appellationibus, quae modis

[1] *Ps.* cix, 2. — [2] *Ps.* cix, 5. — [3] Dan., ii, 35. — [4] Is., xi, 1-5. — [5] *Hebr.*, xiii, 8.

diversis dicuntur a Theologis de illa oeconomia adoranda, et *exponemus* quid nobis significent secundum diversitatem appellationum suarum. Hae quidem appellationes unionis illius adorandae, quae ipsius propriae sunt, ad indicationem claram et inconfusam et unitam duarum naturarum et duarum hypostaseon in unam personam dicuntur, scilicet: assumptio, habitatio, templum, vestimentum, adhaesio. Ipsa unio enim non est assumptio, quia assumptio haec *etiam* est habitatio; sin aliter, ad quid duae appellationes? Namque non omne assumens habitat in assumpto, neque omne habitans unitum est. Deus quidem costam de Adam *sumpsit et ex ea Hevam, matrem natorum, p. 228. formavit, sed non *dicimus* eum habitasse in illa, aut fuisse cum ea in una unione.

Ita etiam inter habitationem et vestimentum et unionem est differentia. Non enim, eo quod homo tunica sua indutus est, dicimus eum in tunica sua habitare et etiam cum tunica sua unitum esse; neque, eo quod pisces in aquis habitant, dicimus eos aquis indutos.

Ita et inter habitationem et templum est discrimen. Etenim quamvis homines et pecora super terra habitent, et pisces in aquis, et reptilia intra terram, terra tamen et aquae non appellantur templa. Equidem templa, etiamsi sunt aedificia et lapides, aliquid tamen praestantius denotant, quia excellentiora sunt ceteris aliis domibus non solum propter ornatum suum, sed et propter dignitatem habitatorum suorum; non sunt enim sicut hospitia, aut stabula, aut alia cetera.

Ita inter adhaesionem et unionem est differentia. Adhaerent quidem pisces aquis et vestimenta nostra pelli nostrae, sed non dicimus vestimenta nostra unita esse nobiscum nec pisces cum aquis, quia pisces cum aquis, et vestimentum nostrum nobiscum, aliquid unum non constituerunt in unam personam et operationem, ita ut ex persona unionis pisces appellentur aquae, et aquae pisces, et nos vestimentum nostrum, et vestimentum nostrum nos appelletur. Sed neque omne, quod unitum est cum alio ad aliquid unum, dicimus adhaerere, quia adhaesio significat etiam circumscriptionem et prehensionem unius apud alterum. Hypostatice enim anima corpori unita est, et corpus animae, et non dicimus animam corpori adhaerere nec corpus animae, nec *corpus et anima* se invicem tenent aut sibi

invicem adhaerent. Neque, cum ignis unitus est ligno aut ferro, dicimus eum adhaerere. Neque per adhaesionem tantum natura et hypostasis constituitur; sed adhaesio denotat distinctionem p. 229. proprietatis *hypostaseon aut partium quae sibi invicem adhaerent, aut partis toti *adhaerentis*; non quatenus naturam et hypostasim *constituunt*, sed quatenus sibi invicem adhaerent nec distant loco et situ: « Qui adhaeserit pici, *pix* agglutinabitur manui eius [1] »: *sed manus eius et pix* naturam et hypostasim non constituent.

Ita etiam inter adhaesionem et unionem est differentia. Etenim nos omnes christiani uniti sumus in una fide et in una dilectione Christi; verumtamen non adhaeremus invicem secundum propinquitatem hypostaseon, nec invicem manibus tenemus, nec nos mutuo amplectimur, nam alius est in Oriente, alius in Occidente, aut in aliis regionibus inter se distantibus. Neque sumus templa, alius alii, nec alius in alio habitamus. Quamvis enim dictum sit: « Qui adhaeret Domino nostro, est unus spiritus cum eo [2] », hypostasis hypostasi non adhaeret nec personam unionis complet; sed *apostolus* dixit: « Unus spiritus », propter nativitatem spiritalem per baptismum, etsi, sicut dixi, alius est in Oriente et alius in Occidente. Ergo in hoc loco locutus est de fide et de nativitate spiritali, et de vinculo caritatis christianae in una adhaesione spiritali, quia *Christus* est nobis caput vitae nostrae et nos ei, sicut membra, adhaeremus, nam ex eo est omnis vita nostra; haec autem non est adhaesio hypostatica et materialis, nec personalis.

Rursus, adhaesio aliquando dicitur secundum utilitatem et propter societatem aut participationem in aliquo, v. gr.: Qui adhaeret sapienti, et: Qui adhaeret stulto, cum tamen non hypostases eorum invicem coniunguntur nec se mutuo amplectuntur nec inter se uniti sunt. Ita neque *ubi est* adhaesio, quae fit cum propinquitate partium, unius ad sociam suam, non autem cum distantia locali, hic est habitatio aut unionem personalem complet. Etenim partes domus invicem adhaerent, sed p. 230. non dicimus partes eius in se invicem habitare. Immo *neque consociatio viri et uxoris dicitur habitatio, neque ipsi se invi-

[1] *Eccles.*, XIII, 1. — [2] I *Cor.*, VI, 17.

cem induunt, neque templa sunt, unus alterius, neque unionem personalem acquirunt per assumptionem unius ad socium.

Ita etiam inter habitationem et unionem et adhaesionem est differentia. Dictum est enim: « Habitabo in eis et ambulabo inter eos [1] »; et: « *Deus* habitat in caelo et in Ierusalem [2] ». Sed non dicimus *Deum in eis* habitare per adhaesionem et unionem et personam, ita ut ipsi sint dii et Deus sit ipsi assumptive per unionem personalem. Et habitamus in domo et in tabernaculo, sed non dicimus nos domui et tabernaculo adhaerere et unitos esse, aut illa induisse, neque unam personam unionis *cum eis* constituimus.

Itaque haec unio adoranda et stupenda et ineffabilis omnes hos modos habet, et supra hos *omnes* est, modo peculiari et inscrutabili et sublimiori quam *modo* partium se invicem limitantium, quia non est adhaesio extrinseca tantum, nec inclusio et limitatio intrinseca, nec fit personaliter cum distantia, nec voluntarie cum separatione *naturarum*, sed infinitus est in finito et *uterque* servatur sine confusione, sine mixtione, sine admixtione, sine compositione, sine partibus. Haec unio non est cum distantia *naturarum*; nec est unio finita et necessaria et passibilis, sed voluntaria et personalis ad unam oeconomiam adorandam, in una adhaesione et habitatione et unione assumentis et assumpti, adhaesio inconfusa et habitatio infinita. Infinite enim habitat Deus unitive in humanitate sua finita, sicut sol in margarita splendida, in una unione. Assumptio enim exacte indicat naturas diversas in proprietatibus ipsarum, et *denotat* quaenam sit natura humilis quae assumpta est, *et quaenam sit natura sublimis quae unitive assumpsit p. 231.
eam quae ad personam suam sumpsit, ut sit cum ipsa in una filiatione, in una dominatione, *et* sublimiter elevaretur in ordine divinitatis. Rursus, habitatio et vestimentum *usurpantur* ad significandam unionem infinitam, et *Verbum et hominem* non adhaerere extrinsecus. Quamvis adhaesio dicta sit ad denotandam diversitatem naturarum, denotat tamen *Deum Verbum* in *homine suo* habitare unitive et infinite, et invisibilem esse qui speciem creatam induit, sicut invisibilia sunt membra quae obteguntur vestimento et indumento, et *Deum*

[1] II *Cor.*, VI, 16; *Lev.*, XXVI, 12. — [2] Cf. ZACH., VIII, 3.

Verbum et hominem inter se unitos esse, non secundum distantiam, sed secundum propinquitatem et adhaesionem, sicut vestiens qui praesens est et adhaeret vestimento suo. Neque unio haec est secundum limitationem sicut anima, quae in corpore tantum est, aut corpus dum anima est in omnibus membris eius per unionem et non est extra illud. Neque *unio est* secundum usum specialem tantum aut operationem, sicut vir et mulier adhaerent per copulationem et ii qui socii sunt et se invicem adiuvant, dum sunt separati, nec uniti in unam personam, nec habent quod hic sit ille et ille hic in una unione habitatoris et habitati.

Veruntamen iterum revertamur ad expositionem nominum illorum, quia res est valde necessaria, nec oportet ut lectorem taedeat lectionis eorum utilis. Nam si scriptorem non taedet laborare et scribere ad suam et aliorum utilitatem, cuinam aequum esset, si sit indigens, hoc negligere? Si autem non sit indigens, superfluum suum esurientibus sine invidia relinquat. Plures quidem haeretici his nominibus et appellationibus offenderunt ad interitum suum. Quidam ex eis dixerunt Dominum nostrum esse hominem simplicem eumque, tanquam
p. 232. unum de hominibus, esse templum, et habitaculum, *et filium, et primogenitum, et unctum; et hi miseri negaverunt divinitatem eius in humanitate eius unitive habitare. Alii autem impie dixerunt mutationem et existentiam, et negaverunt assumptionem. Quapropter Scripturae dixerunt et declaraverunt: Forma Dei formam servi sumpsit [1]. Item Patres sancti in symbolo suo proprietates duarum naturarum secundum unionem et tanquam de una persona exposuerunt, et dixerunt illud: « Incorporatus est et inhumanatus est »; et anathematizaverunt illum qui dixerit Deum esse mutabilem aut variabilem, ut omnes discerent hanc habitationem non esse sicut in ceteris hominibus, nec mutationem nec confusionem factam esse, sed hanc *habitationem* esse per unionem et adhaesionem in unam personam, sicut rubus in igne et ignis in rubo, ut supra ostensum est. Adhuc, etiam illud: Assumptio et assumens, proprietates veras hypostaseon completarum denotat, *id est,* formam Dei, unam de hypostasibus Trinitatis, Deum Verbum, et

[1] *Philipp.*, II, 7.

formam servi, unam de hypostasibus hominum, hominem Iesum unitum, quem Deus Verbum ad personam suam assumpsit et in quo habitavit ut sese revelaret, et quia impossibile est assumentem possidere naturam propriam assumpti, nec assumptus possidere potest naturam propriam assumentis. Ergo assumptio ab assumente facta nobis manifestavit etiam honorem sublimem assumpti apud assumentem. Quapropter Patres, in symbolo fidei suae, dixerunt: Assumpsit [1]. Sunt enim qui aliquid sumunt ut proiiciant, sicut lapidem et sagittam et alia huiusmodi; et sunt qui aliquid sumunt ut ordinent ad usum quemcumque, et deinde derelinquunt illud quod non sumpserunt ad unionem aut vestimentum, v. gr. costa quae ex Adam sumpta est et ordinata ut fieret mulier, mater natorum.

Ita etiam res se habet quoad habitationem et vestimentum et templum. Unumquodque ex his nominibus nos aliquid *singulare docet quod aliud non habet. p. 233. Etsi enim *haec nomina* in aliquo consentiunt, in aliquo tamen differunt secundum sensum ipsis impositum. Habitatio quidem significat et sensus eius nobis declarat, ut supra diximus, non tantum unum esse in alio, sed etiam Deum non adhaerere extrinsecus et finite formae servi quam ad personam suam assumpsit, etsi adhaesio dicta est ad significandum naturas non fuisse confusas nec commixtas, neque *Deum* unitum esse per compositionem. Neque, eo quod homo Domini nostri denominatus est vestimentum, id significat vestimentum eius esse exterius ipsique adhaerere; et eum intra illud contineri et concludi. Vestimentum enim cum eo, qui illud induit, non facit unionem. Item compositio unionis non facit habitationem. Etenim partes domus, aliae aliis impositae, in se invicem non habitant, quia finitae sunt et limitationem habent a se invicem et etiam ab alio, qui extrinsecus est, habent compositionem unitam ex eo qui eas composuit, et sunt sine sensu, et unio earum non est voluntaria. Deus Verbum autem, qui est infinitus sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, in humanitate sua voluntarie habitat, non finite, nec coacte, nec per compositionem; neque, sicut vestiens tantum, est extra vestimentum suum per adhaesionem simplicem et

[1] Duplex verbum syriacum ad litteram « elevavit, sumpsit » ad accuratiorem translationem verbi graeci ἀναλαμβάνειν adhibitum videtur.

absque unione. Sed ipse, cum esset in forma Dei, formam servi sumpsit: forma in forma, Deus in homine suo unito quem ad personam suam assumpsit ut in eo revelaretur in una unione, iuxta exemplum rubi et ignis. Ignis enim induit rubum, et rubus plenus est igne et est extra flammam eius, quae etiam ignis est. Ita et Deus Verbum, dum est per infinitatem naturae suae in omnibus, in caelo et in omni loco, sicut dictum
p. 234. est, in humanitate sua tamen habitat per unionem *in aeternum, dum haec erat in terra et nunc dum in caelo est, quemadmodum ipse est in ea per unionem dum caelum et terra eo plena sunt; et *dum* habitat in humanitate sua unitive, venturus est.

Et audiamus ab ipso quomodo explicaverit unionem suam et habitationem suam peculiarem in humanitate sua in unam personam, ita ut hic sit ille et ille hic, illo et hoc manentibus, et unitive sibi sumpserit etiam nomen humanitatis: « Filius hominis qui est in caelo [1] ». Ex parte unionis quidem hoc nomen est, sicut supra ostensum est. Ecce ipse nomine humanitatis suae dixit: « Cum exaltabitur Filius hominis de terra [2] ». Quomodo exaltabitur de terra et est in caelo, cum natura eius sit in omni loco infinite? Et: « Tradent Filium hominis, et occident illum, et tertio die resurget [3] ». Natura autem divina occidi non potest, quamvis appellata sit Filius hominis qui de caelo descendit et est in caelo. Et: « Ego sum panis qui de caelo descendi [4] ». *Hoc dicitur* nomine unionis, sicut ipse dixit: « Panis, quem ego dabo, corpus meum est quod pro vita mundi frangetur [5] ». Ecce vero corpus eius non de caelo descendit, sed sumptum est de natura beatae Mariae, et a Spiritu sancto formatum est, et non est infinitum in natura sua, quia ecce in sepulcro inclusum est. Neque Deus Verbum frangitur, quia spiritus est; neque finite habitat per naturam suam, vestimento et templo eius extra ipsum positis. Caelum enim et terra eo plena sunt, nec illum continent, etsi per unionem habitat in humanitate sua, sicut sol in speculo et in margarita splendida, ut supra ostensum est.

Ecce igitur etiam hic cognitum est quod infinitus non com-

[1] Ioh., III, 13. — [2] Ioh., VIII, 28. — [3] Matth., XX, 19. — [4] Ioh., VI, 51. — [5] Ioh., VI, 52.

ponitur, et unionem naturalem et hypostaticam non potest habere, sed voluntariam et personalem, quia *hominem* sumpsit ad personam suam eique sua *dedit: « Factus est in similitu- p. 235. dinem hominum, et habitu inventus est ut homo [1] », unus in altero, non autem per modum compositionis. Humanitas eius accepit nomen excellentius omnibus nominibus, secundum unionem, non secundum distantiam *naturarum*, sed ad instar laminae quam ignis induit, servatis naturis inconfusibiliter in proprietate hypostaseon suarum unitarum. Verumtamen haec habitatio et unio et adhaesio sublimiores sunt omnibus quae hoc nomen et rem unitam possident, quia mens comprehendere non valet quomodo eadem unita persona sit finiti et infiniti, et natura creata et finita unitive adhaereat naturae infinitae modo peculiari cum haec in omnibus sit, et *natura* finita adhaereat ei in una filiatione, in una virtute, in una voluntate, in una potestate, in una dominatione, et eadem sit templum et vestimentum et etiam Filius, et *quomodo Deus*, cum sit in omni loco per naturam suam infinitam, hic sit tanquam in Filio in unitate unius filiationis: « Moyses quidem tanquam servus fidelis in tota domo eius; Christus vero tanquam filius super domum suam [2] », et: « In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [3] », et: « Ipse est imago Dei invisibilis [4] ». Haec sunt ineffabilia et supra investigationem. Partes enim, aliae cum aliis compositae, numquam ita appellantur ut una sit imago sociae suae invisibilis aut alia aliam induat.

Argumentum vero magis atque magis revolvamus, quia res est valde necessaria. Aliud quidem est vestimentum, et aliud templum, et aliud adhaesio, et aliud unio. Hic autem haec omnia sunt omnino per prodigium stupendum et mirabile et ineffabile. Ita enim homo Domini nostri *his nominibus* appellatus est, non solum ad significandum quod divinitas non est distans ab humanitate, sed *et quod humanitas eius per- p. 236. sonam (πρόσωπον) divinitatis sumpsit, non secundum distantiam sicut legatus, sed secundum adhaesionem, et quod etiam proprietates divinitatis et humanitatis eius servantur sine confusione, et quod unio non est per compositionem, nec necessaria.

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *Hebr.*, III, 5-6. — [3] *Col.*, II, 9. — [4] *Col.*, I, 15.

Partes enim domus mutuo non appellantur templum, alia alius; neque sicut cetera quae nomine metaphorico obiter vocata sunt templa, et habitacula, et tabernacula et mansiones, ita *Deus* habet templum humanitatis suae aut pro habitatione temporanea; sed *homo Domini* revera est templum proprium quod, tanquam verum exemplar, omnia nomina templorum antiquorum adumbrabant. Equidem habitatio eius templaris, quae est unita et adoranda, numquam mutationem aut cessationem suscipiet per discessum *divinitatis* a templo. Quemadmodum uncti et pontifices et primogeniti et reges verum exemplar, quod est Christus, caput vitae nostrae et Deus noster, figurabant, ita et templa antiqua figurabant veritatem subsistentem huius templi proprii, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis. Deus Verbum enim illud ad personam suam unitive sumpsit; et Pater et Spiritus sanctus *in illo sunt* propter aequalitatem naturae et voluntatis Trinitatis, quia in se invicem habitant infinite et inconfusibiliter, et sunt una essentia et voluntas et virtus et potestas et dominatio. Etenim quamvis Deus Verbum unionem habeat cum humanitate sua, quia de eo dicitur quod factus est caro et in nobis per unionem habitavit, attamen tota Trinitas in humanitate eius unita, tanquam in templo rationali, habitat, propter aequalitatem naturae et voluntatis et infinitatis, et adoratur in una adoratione in aeternum. Et una
p. 237. est adoratio Dei Verbi et templi eius in una *adhaesione, et tota Trinitas adoratur in humanitate Filii: Pater non unitus, Filius unitus, et Spiritus sanctus non unitus. Et templum, quod est humanitas Filii, adoratur cum eo in una unione, cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, una adoratio in una dominatione, in una potestate Dei Verbi cum templo eius unito et cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito, in saeculum saeculorum.

Etsi vero plures appellati sunt templa Dei et Deus dictus est in illis habitare, hoc verbum tamen elucidabimus et auferemus offendicula a conspectu excaecatorum, qui negant divinitatem eius in humanitate eius per unionem habitare. Hi quidem miseri in blasphemiis suis dicunt: Etiam homines appellati sunt templa et domus. Verum non eo modo, o infideles. Etenim quamvis plures appellati sint templa Dei, et *Deus* dictus sit habitare in Ierusalem, et in templo quod in ea erat, et etiam

in caelo et in domo, sicut dictum est: « Nescitis quia templum Dei estis? [1] », et: « Habitabo in eis et ambulabo inter eos [2] », non licet tamen aequalitatem nominis ut aequalitatem rei intellegere; sicut nec illa *vocabula:* essentia, vita, Christus, primogenitus, filius, corpus et homo. Equidem domus, quae est in Ierusalem, appellata est templum: « Cum Simon et Iohannes ascenderent in templum hora nona ad orandum [3] ». Et navis ecclesiae et sanctuarium apud nos christianos templa Dei appellantur, propter adorationem quae in eis Deo tribuitur, et sacerdotes qui in eis charismata accipiunt, et verbum Dei quod in eis caetui fidelium praedicatur, et mysteria redemptionis nostrae quae in eis perficiuntur, sicut dictum est in prophetia: « Ex templis pretiosis eburneis filiae regum laudabunt te in honore [4] », et, iuxta editionem *textus* graeci, quem habemus syriace: « Ex *templo pretioso, ex domo mea, laetificaverunt p. 238.
te ». Et etiam fideles, domestici Dei, denominantur templa: primum, propter charismata Spiritus sancti qui in eis est per dona diversa, et *iterum* quia inter eos agnoscitur et praedicatur evangelium vitae, et in eis cognoscitur maiestas *Dei* abscondita per providentiam eius specialem erga illos, iuxta illud: « Notus est in Iuda Deus, et in Israel magnum est nomen eius [5] », et: « Multifariam et multis modis Deus olim locutus est cum patribus nostris [6] », et: « Per Ecclesiam innotescet multiformis sapientia Dei principatibus et potestatibus, quae in caelo sunt [7] ». Verumtamen templum, quod erat in Ierusalem, factum est in desertum, et sacrificia et libationes, quae in illo perficiebantur, reprobata sunt, quae conscientias eorum, qui peccaverunt, sanare non poterant. Et contigit nobis spes vera vetere excellentior, et, loco sanguinis animalium mutorum, sanguis Agni rationalis, vivi et vivificantis, qui tollit peccatum mundi, melius loquens quam sanguis Abel. Et *Agnus* revera per effusionem sanguinis sui dedit nobis propitiationem. Ecce, propter hoc et ob hanc causam, in commemorationem mortis eius, corpus eius cotidie in Ecclesia eius mystice immolatur in remissionem delictorum nostrorum, et progressum nostrum in veritate usque ad revelationem eius gloriosam, cum cessa-

[1] I *Cor.*, III, 16. — [2] II *Cor.*, VI, 16. — [3] *Act.*, III, 1. — [4] *Ps.* XLIV, 9-10. — [5] *Ps.* LXXV, 2. — [6] *Hebr.*, I, 1. — [7] *Eph.*, III, 10.

bunt mysteria et figurae, et apparebit exemplar. Verum, etsi unum est nomen commune templorum, res tamen in eis diversae sunt. Hic autem, in hac habitatione et unione adoranda, non ita est: sed templum est unitive, et habitator eius est immutabiliter, et adorabiliter templum eius est cum eo, et ipse in illo in aeternum. Itaque humanitas Christi, Filii Dei, est templum divinitatis Christi, Filii Dei, modo peculiari et sublimi, cui nihil aequale est. In illo enim habitat omnis plenitudo [1], sicut dixi, id est, natura divina:
p. 239. *Deus Verbum unitive et personaliter, et Pater et Spiritus sanctus propter aequalitatem naturae infinitae et voluntatis imperantis in una dominatione. Attamen Pater et Spiritus sanctus in illo habitant, non unitive nec personaliter, sed quoad naturam et aequalitatem voluntatis, ut supra ostensum est argumentis permultis. Homo Domini nostri autem, qui est templum eius, una cum eo honoratur et adoratur ab omnibus creaturis in ordine divinitatis, cum Patre non unito et cum Spiritu sancto non unito: « Omne genu ei flectetur in caelo et in terra [2] ». Et templum eius, quia *Deus Verbum* in eo habitat unitive in aeternum et *ipsum* honoratur cum divinitate in una adoratione, est egregium et sublime propter honorem suum, et adorandum et venerandum modo singulari et eminenti et excelso supra omnia, quae vocata sunt nomine templorum, et erant etiam indicatores typici, et velut figura adumbrabant corpus, et erant tanquam mansiones derelinquendae et tabernaculum temporaneum aut secundum honorem simplicem. Homo autem Domini nostri est proprie et unitive templum adorandum propter divinitatem, quae in eo habitat unitive, immobiliter, inseparabiliter et in aeternum. Et in illo adoratur personaliter in una adoratione ipse in templo suo, et templum eius, quia ipse in illo unitive habitat, in una adoratione cum Patre et Spiritu sancto in uno honore in aeternum. Et Deus, exsistens in eo ab initio formationis illius, illud perfecit omnibus sublimibus, immortalitate, impassibilitate, immutabilitate et ceteris, in unione, dum ipse ubique est per infinitatem suam, et caelum et terra eo plena sunt nec eum continent.

Sed audiamus ab habitatore *templi* huius et etiam ab ex-

[1] *Col.*, II, 9. — [2] *Philipp.*, II, 10.

plicatione evangelistae, quomodo homo eius sit ei templum *speciale in quo ipse unitive in aeternum habitat: « Solvite p. 240. templum hoc, et in tribus diebus ego excitabo illud [1] ». Et evangelista declarat et filius tonitrus caelestis mundo universo clamat ut aperiantur aures immundae et incircumcisae, quae obturantur modis malitiae erroris obscurantis: « Ille autem dicebat de templo corporis sui [2] ». Vides distinctionem unitam, et adhaesionem sublimem, et quam magna ostensa sit distinctio eius: « Templum corporis sui ». Eius est corpus proprium in una persona unita. Et quemadmodum nobis est hoc nostrum corpus cum anima nostra unus homo, et appellatur corpus nostrum, — etsi hic unio est necessaria et naturalis: exemplum est enim, ut supra ostensum est, — ita et simili modo, Deus Verbum templum suum peculiariter habet, et ipsius solius reputatur corpus et habitaculum in una persona Christi, Domini nostri: infinitus in finito, in una adhaesione in aeternum. Habitatio enim et unio non sunt naturaliter, nec finite, nec passibiliter, sicut anima et corpus *sunt* in unione naturali et hypostatica. Hoc quidem saepius dicimus, ne Deum faciamus finitum et passibilem, ut sceleste dicunt haeretici. Etenim impossibile est templum finitum, quod est corpus et anima, *seu* homo, esse cum habitatore suo, qui est spiritus infinitus et impassibilis in natura sua, unam naturam et unam hypostasim compositam aut mixtam aut admixtam, et proprietates eorum commisceri et confundi et perire, non distinctis in naturis suis unitis habitatore et habitato: sin aliter, hic *invenitur* absoluta confusio: templum est habitator, et habitator est templum; qui surrexit est ille qui suscitavit; forma servi assumpta est forma Dei qui assumpsit, et qui inhabitavit est inhabitatio. Haec non solum *impossibilia sunt, sed sunt etiam blasphemia et impie- p. 241. tate plena. Si non sunt proprietates, non sunt naturae; et si non sunt naturae coniunctae, non est unio.

Rursus, ita est et de vestimento, quo nomine humanitas Domini nostri appellata est. Hic etiam id non solum manifestum et probatum est sapientibus, quod vestiens et vestimentum non possunt esse una natura et una hypostasis, sed et quod Scriptura nobis intelligibiliter manifestat absconditum esse in revelato

[1] Ioh., ii, 19. — [2] Ioh., ii, 21.

in una adhaesione, ut supra ostensum est, et inscrutabilem esse divinitatem Filii in humanitate eius unita absconditam, sicut invisibilia sunt membra quae absconduntur et continentur intra vestimentum, etsi vestiens notus est et vestimentum ab induente illud naturaliter diversum est, quia vestimentum non potest esse una natura et una hypostasis cum vestiente, quemadmodum miles, armis indutus, non dicitur una natura et una hypostasis cum armis suis, etsi ea induit iisque obtegitur, sed miles indutus et armatus *dicitur*. Illud est quod dictum est in symbolo Patrum sanctorum: « Incarnatus est et inhumanatus est ». Membra enim corporeitatis adorandae sunt regiae purpurae, quas induit Deus Verbum, a Spiritu sancto praeclare contextae, e materia corporis Virginis beatae Mariae. Et ab initio texturae, vestiens in ea fuit in aeternum, non ut illam exueret aut ab illa separaretur, sed indutus vestimento suo, corpore et anima, id est, hypostasi humanitatis suae, ablutus est ad immortalitatem gloriosam cum omnibus bonis in sanguine corporis, id est, in passione crucis vivificantis: « Abluet in vino vestimentum suum et in sanguine uvarum indumentum suum: splendentiores sunt oculi eius vino propter passionem, et candidiores sunt dentes eius lacte tempore resurrectionis eius[1] »: ex dentibus autem tanquam ex parte *Scriptura* totam hypostasim designat. Hic est qui cum aromatibus involutus
p. 242. est et positus est *in sepulcro, et post tres dies surrexit per virtutem divinitatis quae in eo erat: « Myrrha et cassia et stacte delectant omnia vestimenta tua[2] », ut diceret: Omnia membra corporis tui. Haec enim in crucifixione et morte hominis Domini nostri perfecta sunt, sicut testatur evangelista: « Attulerunt myrrham et aloen pro condimento, et involverunt illum aromatibus et linteis, et posuerunt eum in sepulcro[3] ». Haec facta sunt non circa divinitatem eius, — spiritus enim est, — sed circa templum eius quod ipse post tres dies suscitavit, quamvis contumelia erga templum eius ei incumbat, quia *templum* est vestimentum eius. Et quemadmodum scissa purpura regis sanguis super illam non diffunditur, nam dolor propter dilacerationem purpurae ad hypostasim regis non accedit, contumelia tamen ad regem pervenit, simili modo, quia

[1] Cf. *Gen.*, XLIX, 11-12. — [2] *Ps.* XLIV, 9. — [3] Cf. IOH., XIX, 39-40.

Deus Verbum est immortalis et impassibilis in natura sua, et passio aut ulla corruptio nullo modo ad eum accedere possunt — ipse enim est lux et vita, et est incorruptibilis et invisibilis sicut Pater et sicut Spiritus sanctus. — contumelia tamen, qua crucifixores templum et vestimentum eius affecerunt, ei incumbit, quia ipse habitat in eo unitive et vestimentum eius est sumptum. Etenim qui vestimentum suum induit, non induit illud absque assumptione: nec vestimentum eius est distans ab illo, sed illi adhaeret. Quapropter Patres, ut supra dictum est, dixerunt: « assumpsit ». Nemo autem, sumens aliquid et praesertim aliquid non consubstantiale sibi, potest constituere cum illo unam naturam et unam hypostasim: nec potest aliquid aliud hypostasi eius adiici et ipsum esse eamdem hypostasim in simplicitate sua prima. Impossibile est enim assumptum esse cum assumente unam hypostasim subsistentem. Ecce assumens iam subsistebat in sua substantialitate perfecta et infinita, sicut *Pater et sicut Spiritus sanctus: et quomodo additio fieri posset naturae infinitae? Quapropter haec unio dicitur etiam adhaesio, ut manifestum sit naturas servari in proprietate hypostaseon suarum, sine confusione et sine mixtione, ut ostensum est superius. Equidem id quod confunditur et miscetur nullo modo adhaeret, sed est per modum mixtionis cum socio suo, nec in suis servatur. Itaque beatus Paulus, proprietates hypostaseon distinguens in hac una persona Christi, dicit: Forma Dei formam servi sumpsit [1]: et: Factus est in similitudinem hominum [1], ut nobis ostenderet et demonstraret naturas servari in proprietate hypostaseon suarum unitarum, formam Dei, Deum Verbum, unam de hypostasibus Trinitatis, et formam servi, hominem Iesum unitum, unam de hypostasibus hominum, hominem secundum, Adam novum, invisibilem in visibili, in una persona: « Ipse est imago Dei invisibilis [2] », sed non cum distantia *naturarum*. Et idcirco *homo Domini* vocatus est vestimentum et templum. Etenim *Deus Verbum et homo eius* non secundum distantiam assumunt personam, unus alterius, sicut legatus aut gerens vices aliorum, sicut vicarius Caesaris, aut sicut ii qui ab invicem loco distant et uniuntur caritate et concordia et mente et consensu volun- p. 243.

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *Col.* I, 15.

tatis, sed secundum propinquitatem et adhaesionem et habita-
tionem unitam in unam personam: forma in forma, habitator in
templo suo, Deus in homine suo. Nemo quidem, qui est et habitat
in alio et manet in illo, potest esse remotus ab eo et distans loco
aut intervallo, sed sunt in una unione et adhaesione unius per-
sonae: et sua inter se commutant personaliter, naturas autem
et hypostases suas sibi invicem non dant. Sed Deus Verbum
p. 244. sumpsit formam servi ex semine Abraham, *et in ea unitive ma-
nifestatus est: « Et manifestatus est in carne [1] »; et homo eius
unitus accepit nomen excellentius omnibus nominibus, quia est
Filius per unionem cum Filio aeterno, unus Filius, unus Dominus;
et unus est Dominus Iesus Christus, Filius Dei, heri et hodie, ipse
est in aeternum [2], in una persona adoranda. Etenim non est unio
in una adhaesione et habitatione ex duobus, quorum utriusque
proprietates pereunt: id quidem non est unio, sed destructio
unionis: neque unquam fuit unio quae ex duobus aut pluribus
perfecta non fuerit: neque unio dicitur unus simpliciter cum
non unitur cum alio ut sit unum cum illo post unionem dum
et servatur in suis in unione, non amissa sua proprietate:
« Ego et Pater meus unum sumus [3] ». Hoc: « Ego et Pater
meus », quod est indicatio hypostaseon, non delet illud: « Unum »
natura. Similiter neque illud: « Qui adhaeret Domino nostro
fit cum eo unus spiritus [4] », destruit illum qui adhaeret et delet
eum qui ei coniunctus est caritate et scientia et vera confes-
sione aut nativitate spiritali. Simili modo neque adhaesio viri
et mulieris ad constituendam unam carnem coitu generationis
impedit quin sint vir et mulier. Ita neque illud: Divinitas et
humanitas Domini nostri sunt per unionem unus Filius, unus
Christus, destruit id quod pertinet ad divinitatem et humani-
tatem eius. Etenim humanitas Christi adhaeret divinitati Christi
in una persona filiationis ab annuntiatione angeli Gabriel et
una cum initio plasmationis unitae templi, et divinitas Christi
habitat in humanitate unita Christi, quae est templum eius ab
initio plasmationis suae et in ordine suo completa est, in aeter-
num. Divinitas eius infinita induit humanitatem eius finitam
p. 245. eique unitive adhaeret non tanquam vestimentum *tantum, quod

[1] Cf. I *Tim.*, III, 16. — [2] *Hebr.*, XIII, 8. — [3] Ioh., X, 30. — [4] I *Cor.*, VI, 17.

induenti extrinsecus adhaeret, sed divinitas est *in humanitate* infinite, intrinsecus et extrinsecus. Quapropter nomina « assumptio, adhaesio, et habitatio » *differunt* eo quod habitatio quidem intrinsecus, assumptio autem et adhaesio etiam extrinsecus, in infinitate naturae divinae, *accipiuntur* secundum exempla allata superius. Divinitas eius unita est cum humanitate eius, et una est persona, non secundum distantiam *naturarum,* nec sicut legatus, aut vicarius Caesaris, aut ii qui *uniuntur* mente unanimi aut caritate tantum dum remoti sunt, sed per modum vestimenti non exuendi, adhaesionis non separandae, assumptionis non confusae, templi non commixti, habitationis non rescindendae, unionis non mixtae. *Verbum et homo eius,* dum distincti sunt, uniti sunt: et dum uniti sunt, distincti sunt, ita ut ambo sint quid unum, id est, una persona, assumens cum assumpto, servatis illo et hoc in una unitate unius Domini Iesu Christi, Filii Dei.

Verumtamen, quia huc pervenimus per virtutem Christi, qui comitatur menti nostrae incultae, quia ipse est sapientia nostra et spes nostra et virtus nostra et consolatio nostra, iterum revertamur ad illas differentias unitas nominum adorandorum, quae sunt in hac oeconomia, et separemus domos eorum unitas easque coniungamus distincte et sine confusione, ut res magis atque magis illustretur, et veritas reveletur, et auferantur tenebrae a conspectu excaecatorum, si velint; et insufflemus in fornacem spiritalem quo magis purificetur aurum, et revelentur et splendeant pulcritudo et vultus imaginis regiae. Sed primum sint pro fundamento sermonis nostri, secundum definitionem statutam, definitam et insolubilem, verba vera illius qui aedificat firmiter, ad modum turris, et recte super *fundamentum p. 246. Petrinum et adamantinum, cum lapidibus integris et unitis, beati Theodori Interpretis [1] dico, discipuli perfecti apostolorum beatorum, habitaculi Spiritus sancti, mansionis omnium bonorum, speculi virtutis, et columnae firmae quae numquam concussa est nec concutietur in aeternum. Sic enim loquitur: « Unionem dicimus adhaesionem duorum, ubi quid unum reputantur secundum personam (πρόσωπον) ». Euge, verba invicta quae, tanquam aries obsidionalis, perfoderunt et impulerunt et

[1] Theodorus Mopsuestenus.

deiecerunt et prostraverunt omnia moenia erroris. Ait: Adhaesio duorum: id est, naturae divinae et naturae humanae Christi, non ad mutuam deletionem, nec ad mixtionem, nec ad confusionem, nec ad unionem naturalem et hypostaticam, nec quod altera alteram absorbuit postquam unitae sunt, iuxta impietatem impiorum, sed: adhaesio duorum, id est, duo *sunt* et adhaerent et proprietates eorum distinctae sunt. Et quid fecit haec adhaesio? « Ubi unum quid dicuntur secundum personam, non secundum naturam sunt unum quid, sed secundum personam sunt unus Filius, Dominus, Christus, Emmanuel », etc. Ergo unum et idem singulare non potest uniri ut sit unum cum seipso, nec una natura simplex potest vocari unio, dum non sunt duo, nec duplicia, nec servantur ea quae in unum coniuncta sunt, nec unum socium suum umquam dissipavit; sin minus, non est unio post unionem in unum [1]. Rursus fieri non potest ut duo, dum sunt in adhaesione et unione, post unionem non sint unitive ea quae unita sunt. Et non est unio quae in aliquo non differat et in aliquo non sit unum. Dixit enim Dominus noster: « Ego et Pater meus unum sumus [2] ». Ergo hoc: « Unum » secundum naturam, non dissipavit illud: « Ego et Pater meus », quod est indicatio hypostaseon in hac una
p. 247. natura. *Pater enim non est Filius, nec Filius est Pater, eo quod unum sunt. Item dictum est: « Qui adhaeret Domino nostro fit cum eo unus spiritus [3] ». Illud enim: « Unus spiritus » secundum donum, non dissipat eum qui adhaeret et illum cui adhaeret, sed exsistunt et invicem adhaerent in uno spiritu.

Rursus, alio modo et per exemplum. Sic quidem dictum est de viro et muliere: « Relinquet vir patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et duo erunt una caro [4] ». Eo quod facti sunt per coitum una caro, non amiserunt illud quod sunt vir et mulier. Vir enim non perdidit sexum suum masculinum nec factus est mulier, sicut neque mulier facta est vir. Et ad instar sacramenti Christi et Ecclesiae eius, ita et in hac unione stupenda et adoranda et ineffabili, duo sunt, diversi secundum naturas et proprietates hypostaseon suarum, uniti autem in una persona Christi, Filii Dei: forma Dei, Deus

[1] Id est: non amplius est unio duorum, sed unum. — [2] Ioh., x, 30. — [3] I *Cor.*, vi, 17. — [4] *Gen.*, ii, 24.

secundum naturam. et forma servi. homo secundum naturam. « Ex quibus est Christus secundum carnem » : hoc ad humanitatem Christi pertinet. « qui est Deus super omnia [1] » : hoc ad divinitatem Christi spectat. Itaque unus denotat aliquid unum exsistere quotiescumque non est unio: unus autem secundum singularitatem non dicitur unio. Unio vero dicitur quid unum propter adhaesionem et unionem duorum in una persona. Veruntamen sunt aliae species unionis. non solum ex duobus, sed etiam ex pluribus. attamen non per modum adhaesionis, nec habitationis, nec templi. nec vestimenti. in unam personam. Quia *Verbum et homo eius* in se invicem agnoscuntur cum omnibus quae possident. sicut ignis in rubo et rubus in igne. iuxta sententiam Patrum et quasi summatim. ut dixi superius. propter hoc et ob hanc causam, multa sunt nomina Domini nostri. sive ante unionem. sive in hac unione huius *unius personae Christi, Filii Dei. Etenim nihil est in modo p. 248.
singulari exempli et similitudinis quod nobis dare possit scientiam de illa generatione aeterna et ineffabili. et de hac unione mirabili et adoranda: quia illa generatio non est temporanea, cum fluxu, initio et divisione. et rursus quia haec unio non est naturalis et hypostatica. sicut *unio* animae et corporis. nec fit ex partibus ad complendam naturam et hypostasim: sed naturae completae divinitatis et humanitatis cum proprietate hypostaseon suarum sunt in una persona filiationis. Adhuc, *haec unio* non facta est secundum distantiam *naturarum* et per voluntatem et caritatem tantum, nec ex partibus ad complendum *totum*. sicut domus et navis et porta, etc., nec per modum mixtionis confusae sicut *unio* vini et aquae. nec ad instar admixtionis [2] sicut *unio* farinae hordeaceae et triticeae, nec per commixtionem [2] sicut *unio* seminis ervorum et fabarum et lenticularum, quae separata sunt et non unita, etiamsi se invicem et ab invicem limitent. Haec enim sententia impia esset quia hic. in his rebus. sicut dixi. mixtio et confusio et divisio agnoscuntur: ibi autem. in unione illa mirabili. Deus completus est in homine completo. et infinitus habitat in finito, et cum eo unitus est. et eum induit eique adhaeret. Qui. dum

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] Voces ܚܘܠܛܢܐ « admixtio » et ܚܒܝܟܘܬܐ « commixtio » una pro altera hic transpositae videntur: cf. supra, p. 43.

uniti sunt, distincti sunt in proprietatibus suis: et dum distincti sunt, uniti sunt in una persona, et, ut summatim dicam, dum servantur ambae naturae in uno Christo, Filio Dei, in aeternum.

Nunc si *quaestio sit* de nominibus ante unionem, amplius sermonem revolvamus. Si Filius appellatus esset Verbum tantum, et ei non adiungeretur nomen divinitatis et: « est Deus apud Deum », existimatum esset eum esse quamdam virtutem haud subsistentem, iuxta impietatem haereticorum. Rursus, si appellatus esset « Deus apud Deum », et non vocatus esset Ver-
p. 249. bum et Splendor, *homines* intellexissent diversitatem *naturae et posterioritatem, eumque esse Deum secundum et finitum, non autem natum ex natura Patris ab aeterno et sine tempore. Item si appellatus esset Splendor, et cum nomine Splendoris non secuta esset denominatio « Imago substantiae eius », excogitavissent duos errores priore peiores: unum, quod ipse sit operatio et virtus sicut verbum: alterum, quod ipse non sit similis Patri in natura et in omnibus suis, sicut filius ex patre. Sed hic per haec omnia argumenta incomprehensibilia cohibitum est et clausum os omnium haereticorum, praesertim Arianorum et Anomoeorum, quia splendor non est creatura lucis, sed est ex natura eius. Rursus, imago et forma *significant* hypostasim de hypostasi, quia ipse similis est Patri, genitori suo, in omnibus, sicut Seth Adamo: « Genuit Adam in similitudine sua iuxta imaginem suam [1] ». Rursus, si vocatus esset « Imago substantiae eius », et non praemisso nomine Splendoris ad denotandam consubstantialitatem eius, putavissent eum non esse coaeternum Patri, sed creaturam eius, aut forsan prout dictum est de humanitate eius, id est, forma servi quam sumpsit ut in ea revelaretur, « ipsum esse formam », id est imaginem « Dei invisibilis [2] ». Quapropter hae differentiae per gradus discentes *adducunt* ad unam scientiam perfectam et infallibilem, et haec nomina denotant eum solum in singularitate sua esse supra omne nomen quod nominatur, ut ex nominibus et appellationibus, quae apud nos sunt, intellegamus eum esse consubstantialem Patri et ex eo natum, id est, Filium, Splendorem, Verbum, Formam Dei, Infinitum de Infinito, Aeternum de Aeterno, Lumen de Lumine, Omnipotentem de Omnipotente, genitum, non factum.

[1] *Gen.*, v, 3. — [2] *Col.*, I, 15.

Ita et in hac oeconomia eius secundum corpus, sunt *nomina* unionis mirabilis et adorandae. Dictum est enim: *Habitatio, p. 250. et adhaesio, et templum, et vestimentum, et unio, quia non potes per unum exemplum unamque appellationem discentibus declarare et confirmare hanc unionem mirabilem, inconfusam et non admixtam et immixtam et impassibilem, id est, ineffabilem — nam Deus Verbum, qui est infinitus sicut Pater, sumpsit ad revelationem suam hominem finitum, qui secundum ordinem suum perfectus est, ut esset cum ipso una persona filiationis — nisi *adhibueris* omnes similitudines et notitias et appellationes et nomina, quae nobis veritatem confessionis nostrae declarant et confirmant, ut discamus et doceamur hanc unionem adorandam cum omni certitudine et fide infallibili. Etenim non omne habitans adhaeret et unitur et induitur, sicut habitatores domus et navis et civitatis non adhaerent nec uniuntur secum invicem, *nec adhaerent et uniuntur* domui et navi et civitati. Neque omne, quod adhaeret, unitur et habitat, quemadmodum vestimentum non habitat in eo qui illud induit, nec unitur cum eo in una persona ita ut, secundum personam, vestimentum sit induens ipse, et induens sit vestimentum, in una virtute et voluntate et ceteris, et quemadmodum non dicimus virum et mulierem, qui dicuntur fieri una caro per coitum, se invicem induere aut in se invicem habitare, nec dicimus eos, qui mutuo per caritatem et concordiam voluntatis uniuntur, in se invicem habitare aut se invicem induere. Neque omne, quod habitat et adhaeret, etiam unitur. Pisces enim non uniuntur aquis in una persona (πρόσωπον) piscium et aquarum, nec volatilia aeri. Neque terra unitur habitatoribus suis, nec *terra et habitatores* ex se invicem cognoscuntur. Neque infans, qui habitat et est in utero matris, habitat in matre unitive, sicut anima in corpore. Rursus, adhaesio non praedicatur de omni quod adhaeret et unitur; etenim non dicimus animam adhaerere corpori *et corpus animae, sed dicimus ea unita p. 251. esse naturaliter. Item neque, eo quod inter se unita sunt, dicimus corpus in anima habitare.

Rursus, alio modo. Deus habitat in creatione sua infinite, et etiam in sanctis suis familiaribus per caritatem et voluntatem: sed propter hoc non dicimus Deum unitum esse aut adhaerere creationi suae per unionem personalem, aut crea-

tionem esse vestimentum eius. Item neque eos, qui cum illo per amorem et fidem uniuntur, dicimus esse cum illo in una dominatione et in una potestate. Quod si diceremus Deum Verbum unitum esse humanitati suae, sicut anima est in corpore, — quamvis id esset in aliquo simile, hic tamen est limitatio et passibilitas, et *anima et corpus* se mutuo complent ad unam operationem, — cogitaretur de unione naturali et necessaria, et de natura unica in specie sua quae non esset Deus nec homo. Rursus, si *Deus Verbum in humanitate sua habitaret* quemadmodum habitat in creatione sua, sicut dixit: « Caelum et terra me plena sunt », aut quemadmodum habitat in sanctis suis per amorem et voluntatem, unio non esset per adhaesionem, neque diceretur vestimentum unitum, neque adhaesio per habitationem, neque persona unionis. Rursus, si haec persona diceretur habitare tantum per concordiam voluntatis et potestatem, sicut legatus assumit personam regis, non diceretur habitare et adhaerere et uniri, neque verba converterentur, *id est*: Quemadmodum humanitas Domini nostri personam divinitatis eius sumpsit, sic et divinitas eius personam humanitatis eius in una adhaesione sumpsit. Etenim rex non sumit personam legati sicut legatus personam regis sumit, sed hi etiam inter se distant et non adhaerent; neque
p. 252. est unio *quae est per habitationem finitam. Hic ergo mysterium est magnum et stupendum et res mirabilis. Etenim Deus Verbum formam servi ad personam suam sumpsit, id est, hominem completum, et habitavit in eo unitive et infinite: « Manifestatus est in carne [1] »: et humanitas eius, per unionem cum illo, accepit nomen excellentius omnibus nominibus, id est, Filium et Dominum, in una potestate et in una dominatione. Et ille factus est is secundum unionem, non secundum naturam: « Filius hominis qui est in caelo [2] »: et is factus est ille secundum unionem, non secundum naturam, id est, Filius et Dominus gloriae. Et in hac una persona agnoscuntur duae naturae cum proprietatibus suis sine separatione; et unus est Dominus Iesus Christus, Filius Dei unigenitus, heri et hodie et in aeternum [3]. Ipsi et Patri eius et Spiritui sancto sit laus et honor et adoratio et exaltatio in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit Tractatus sextus.

[1] I *Tim.*, III, 16. — [2] Ioh., III, 13. — [3] *Hebr.*, XIII, 8.

TRACTATUS SEPTIMUS

COMPOSITUS AD MODUM DISPUTATIONIS BREVIS, ADVERSUS EOS QUI NEGANT PRIMITIAS GENERIS NOSTRI UNITIVE ASSUMPTAS FUISSE A DEO VERBO, ET ADVERSUS EOS QUI IMPIE DICUNT UNIONEM NATURALEM ET HYPOSTATICAM, ET DEUM PATIBILEM FACIUNT; UNA CUM EPITOME OMNIUM QUAESTIONUM SUPERIORUM.

« Verbum caro factum est, et Ipsum est quod crucifixum est et passum est et mortuum, Ipsum quidem in natura sua et hypostasi sua, non alius, ne sint duo [1] ». Cur tanquam lupi audaces dilacerastis et corrupistis, et dereliquistis totum *corpus sententiae? p. 253. Ille enim qui scripsit: « Verbum caro factum est [2] »: verba sua adiunctis eorum explicavit quia dixit: « Et habitavit in nobis », id est, alius in alio. Ecce ergo duae naturae et duae hypostases, id est, Deus Verbum qui erat in principio et ab aeterno apud Deum Patrem, et caro quae facta est, id est, quam assumpsit ut in nobis habitaret: ita ut τὸ fieri intellegendum sit de carne quae non *fuit* a principio, haec autem: « Habitavit in nobis », intellegenda sint de Deo Verbo quem dixit in principio fuisse. Ergo si *Deus Verbum* erat in principio, non incepit per τὸ fieri: quod si factus est, incepit aut mutatus est. Dic mihi: τὸ fieri duorumne est an unius? et illud: « Habitavit in nobis », duorumne est an unius? et *in hisce:* « Verbum quod factum est caro », caro ipsa est Verbum an non est Verbum? *Si caro* ipsa est *Verbum,* quomodo *Verbum* factum est caro? Si factum est caro, tunc non est Deus, sed caro secundum naturam. Et si caro ipsa est Verbum secundum naturam, tunc nomen carnis superfluum est, et etiam nomen ' fieri ' est sine utilitate. Dic mihi: Ille qui factus est, mansit id quod factus est an non mansit? « Verbum, quod factum est caro, mansit in eo quod factum est caro ». Tunc caro mansit: ergo non exsistit nomen Dei Verbi, nec natura eius aeterna quae est spiritus infinitus, quia iam factum est caro in natura sua et mansit. Quod si Verbum factum est *caro* et mansit Deus, ut *haeretici* imaginantur phantastice, respon-

[1] Auctor verba adversariorum recitat. — [2] IOH., I, 14.

deant: Totum factum est? Totum mansit? Pars eius facta est? Pars eius mansit? Si autem totum factum est, quid est quod mansit? Quod si pars eius facta est et pars eius mansit, tunc Deus est corpus divisibile in partes, non autem spiritus infinitus, et beata Maria semi-deum, qui factus est, peperit. Si Deus mansit in suis, ille, qui carnis est, unde est, et e quanam
p. 254. natura *sumptus? nisi forsan Deus Verbum carni iusserit: Esto caro pro me, quia ego non possum caro fieri, nam in natura mea infinitus sum; tunc reputabor quasi factus sim caro propter amorem meum erga carnales, et quasi ego moriar dum non morior.

Rursus, alio modo. Si Deus Verbum, priusquam fieret caro, erat una hypostasis sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, et, postquam factus est caro, Ipse est eadem una hypostasis carnis, tunc *caro* hypostasim Verbi a spiritalitate eius infinita abegit, et *hypostasis Verbi* facta est hypostasis carnis et finita. Quod si illam non abegit, tunc servatur hypostasis Verbi; et, si servatur hypostasis Verbi, e quanam natura est caro? Si caro in carneitate sua non habet hypostasim suam propriam, non est caro, sed nomen est carnis absque hypostasi et subsistentia; quod si possidet hypostasim suam propriam in sua carneitate, non est hypostasis Verbi in spiritalitate eius. Si caro possidet hypostasim suam propriam et haec non est spiritus, dic mihi: Sub quanam natura includitur, et quaenam est natura, quae in ea agnoscitur? sicut natura communis hypostaseon quae sub natura sunt? Notum est autem sapientibus quod *caro* non includitur sub natura aeterna quae in trinitate hypostaseon adorandarum et aeternarum agnoscitur, quia hae hypostases adorandae aequales sunt in omnibus suis, in infinitate, in incorporalitate, in impassibilitate, in immutabilitate, in invisibilitate, supra tempora et intervalla. Sin aliter, unde est haec caro? Si *Verbum* factum est *caro* sine mutatione, Trinitas mansit in suis. Quod si revera factum est caro, tunc deminutio facta est Trinitati quia una de hypostasibus eius muta-
p. 255. tionem passa est et facta est hypostasis *diversa in hypostasi sua carnali, et inclusa est sub natura diversa carnalium et creatorum. Rursus, si caro ad Trinitatem elevata est, et mansit in sua carneitate, et facta est una natura cum Trinitate et una hypostasis cum Deo Verbo, tunc ecce additio in Trinitate. Quod

si non est additio, hypostasim carnis ubi ponemus? In Trinitate enim non est ei locus, quia Trinitas est natura perfecta in esse suo, et essentia est infinita et numquam additionem suscipit sicut nec deminutionem, et essentiae eius aeternae non inest quod mutetur aut variationem ullo modo suscipiat. Ergo caro mansit sine natura, et privata est hypostasi. Quod si est ei hypostasis subsistens in esse suo, tunc omnino includitur in natura sua cum carnalibus sociis suis.

Rursus, alio modo. Si itaque effectio carnis Verbo hypostatice convenit, quod attinet ad ea quae sequuntur: « Habitavit in nobis », in quo habitavit et quando? num in omnibus hominibus? Et quid sunt hi secundum naturam? Dic mihi: Ipsa caro fuit in carne, an Verbum in carne? Si itaque caro in carne aut Verbum in carne, tunc in duobus an in multis? Et quomodo caro in carne habitaret? Hoc fieri nequit. Num forsan Verbum in Verbo habitavit? Num forsan, ut imaginantur *haeretici*, Verbum est caro secundum hypostasim, et caro est Verbum secundum hypostasim? Id fieri non potest.

Rursus, alio modo. Si illud: « Habitavit in nobis », est habitatio eius in Virgine, ut *haeretici* desipere solent, *Verbum*, ante habitationem in carne, factum est caro et deinde habitavit. Ita enim dicit textus: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». Haec quidem verba non possunt mutare *sicut p. 256.
solent. Ubi igitur et quando factum est caro et deinde in Virgine habitavit? In caelo an in terra? Et per quaenam membra et sensus eius intravit ut habitaret et maneret? Intravitne per portas sensuum et membrorum Virginis ut iam formatus et homo perfectus in omnibus suis, an caro intravit et homo egressus est? Sed etiam hic in his duobus adest maledictio: « Maledictus quicumque confidet in homine et ponet filium carnis brachium suum [1] », dicunt verba divina. Quod si *Verbum* in Virgine, postquam intravit, factum est caro, tunc prius habitavit et deinde factum est caro, ita ut res sic se haberet: Verbum habitavit et caro facta est. Sed ecce caro, tanquam ex natura sua, non prodest quidquam, nec regnum hereditate possidebit, quia investigatio nominis proprii carnis in singularitate et specie eius, tanquam ex natura eius, corruptionem

[1] IER., XVII, 5.

indicat et nos docet conditionem eius temporaneam et non permanentem: « Caro et sanguis regnum Dei hereditate non possidebunt [1] ». Et quia carneitas, tanquam ex natura sua, corruptionem denotat, *Paulus* dicit et explicat verba sua: « Neque corruptio incorruptionem hereditate possidebit [2] »: et: Omnis caro foenum est [3] ». Verumtamen, quia appellamur propter mortalitatem carnales, ita et ex parte totus homo appellatur nomine carnis: v. gr.: « Ad te omnis caro veniet [4] ». — non autem caro sine anima. — et: Dedisti ei potestatem super omnem carnem [5] ». — non autem super carnalia tantum possedit potestatem: — hinc tanquam ex parte tota natura denominata est. Ergo si *Verbum* prius non factum est caro et deinde habitavit in Virgine, tunc illud: « Habitavit in nobis », notum est esse: Deus habitavit in carne, quae est caro *seu* homo de natura nostra, et illud: « In nobis », est sicut
p. 257. illud: Emmanuel, et alius in alio, et Deus noster *nobiscum, id est, unitus cum natura nostra. Et *Verbum* habitat in templo suo per unionem, et una est persona Christi, et hunc Virgo peperit. Et illud: « Factum est caro », *evangelista* dicit de hypostasi carnis quae facta est caro, de illo qui assumptus est de Maria, quae est ex genere et progenie Abraham. Quapropter dixit: « Factum est caro et habitavit », ut demonstraret Deum Verbum adeo se demisisse propter salutem nostram ut indueret carnem et reputaretur caro, id est, homo, quia corpus visibile est, anima autem invisibilis, et ex parte totum designavit. Illud: « Factum est », indicat non mutationem, sed assumptionem, sicut exposuit beatus Paulus: « Forma Dei formam servi sumpsit »; et: « Factus est in similitudinem hominum [6] ». Idem est et illud beati Iohannis: « Habitavit in nobis », alius in alio. Ergo si non est assumptio, non est habitatio, nec unio, nec nomen unionis, quia τὸ fieri solum non indicat unionem duorum ad unum, cum non sint assumens et assumptus. Illud: « Factum est caro », significat: Assumpsit carnem, sicut illud: « Factus est maledictio [7] », quia maledictionem sustulit, et illud: « Factus est peccatum [8] », quia reputatus est crucifixus propter peccatum, nam dictum est: « Maledictus quicumque

[1] I *Cor.*, xv, 50. — [2] *Ibid.* — [3] Is., xl, 6. — [4] *Ps.* lxiv, 3. — [5] Ioh., xvii, 2. — [6] *Philipp.*, ii, 6-7. — [7] *Gal.*, iii, 13. — [8] II *Cor.*, v, 21.

pendet in ligno [1] », et: « Sustulit peccatum et affixit cruci suae [2] ». et sicut dictum est in prophetia: « Dolores nostros et morbos nostros ipse portavit [3] ».

Dic mihi: Qui crucifixus est, in eo quod factus est caro crucifixus est, an in eo quod mansit? Si in eo quod mansit, caro non crucifixa est: si in eo quod factus est caro. tunc caro crucifixa est. non autem Deus qui est hypostasis infinita in spiritalitate sua, et mansit. et non est mutatus. Quod si caro ipsa est Deus hypostatice, non est ille qui mansit; si autem mansit. quomodo crucifigeretur spiritus infinitus. o blasphematores! *Quod si in eo quod *factus est* caro crucifixus est, ecce caro p. 258.
diversa est a spiritu infinito et invisibili.

« Passus est et mortuus est ». Quis est ille qui passus est et mortuus est? « Deus Verbum qui incarnatus est ». — Dic mihi: Passus est in duobus. in divinitate sua et in carne sua. an in carne sua tantum? Si quidem in duobus, in duobus est mors et etiam passio. et duae mortes duaeque passiones sunt uni hypostasi; quod si caro passa est, ipsa est quae etiam mortua est. Ecce vero est quod patitur et non moritur; et est quod patitur et moritur. Corpus quidem patitur et etiam moritur; anima autem patitur coniuncte. quia pars est naturae hominis passibilis et in passionibus eius patitur. sed in morte eius non moritur, iuxta verbum Domini [4]. Dic mihi: Quae sunt passio et mors Dei? « Illa corporis ». Ergo *Deus* minor est anima quae patitur et non moritur. Quod si passionem animae passus est, in morte autem corporis mortuus est, etiam hic divisio invenitur, quia et in hoc minor est et debilior quam anima quae. dum patitur cum corpore quia est etiam naturaliter patibilis, non moritur quia immortalis est naturaliter; et mors, quae non potuit virtutem animae superare, Deum deiecit et prostravit in morte *corporis*. Ecce hunc. qui est impassibilis et immortalis naturaliter, blasphematores passione affecerunt et crucifixerunt et incluserunt sub vinculis mortis, dum animam, quae est passibilis. mori non audent dicere.

Rursus. alio modo. Omne quod patitur, ecce deprimitur, in quantum patitur. sub illo quo passione afficitur; et quia est

[1] *Gal.*, III, 13. — [2] *Col.*, II, 14. — [3] Is., LIII, 4. — [4] Cf. MATTH., X, 28.

passibile natura sua, a pluribus patitur, a fortioribus aut inferioribus: et interdum ab iis, quae illud verberant, patitur etiamque moritur. Si Deus *Verbum* passus est in carne sua p. 259. et sine carne sua *non patitur, in carne autem sua passus est et mortuus, omnino amisit impassibilitatem suam, et consubstantialitatem suam cum Patre et Spiritu sancto, et naturam aeternam, quae est in una essentia, quae est fortis sola et habitat in luce, quam nemo vidit, et ad quam nemo appropinquare potest. Etenim ecce nunc infirmus fuit et depressus est et visus est debilior creaturis suis, quia istae illum passione affecerunt et crucifixerunt et deiecerunt subter mortem. Et illi afflixerunt eum de quo dictum est: « Tenet eos virtute verbi sui [1] », et: « Respicit terram ac tremefit [2] »: et omnes gentes quasi quid parum reputaverunt eum, nam ecce crucifixerunt eum ne commoverentur, et interfecerunt eum ne teneret et conturbaret illos: et ille, qui est incorruptibilis et est sicuti est, nunc mutatus est ab essentia sua: quae blasphemia sit super vos, o maxime impii.

Rursus, alio modo. Si in carne passus est, caro eius non passa est; quod si caro eius non passa est et ipse passus est, fortior est caro eius quam ipse qui passus est in ea. Quod si ambo passi sunt, etiam hic duo sunt qui simul patiuntur in suis, quia homo ille patitur in corpore suo et moritur, et anima patitur et non moritur, et Deus, qui unitus est hypostatice cum anima et cum corpore, patitur et moritur cum corpore, et patitur cum anima sua: et ipse moritur, et anima cum eo non moritur. Ecce hic est una hypostasis et Deus incarnatus, ut hi impii dicunt, qui tres proprietates diversas possidet: infinitum qui moritur, animam quae non moritur, et corpus quod moritur. Dic mihi: Deus Verbum qui, sicut vos impie dicitis, Deus est *et* una natura et una hypostasis cum carne sua *in qua* incarnatus est, cum *iam* esset una natura et una hypostasis, incarnatus est. Ergo carneitas eius non est cum eo una natura et una hypostasis. Quod si p. 260. *est cum eo una natura et una hypostasis, tunc etiam ipse ante incarnationem erat una natura et una hypostasis, et post incarnationem ipse est eadem una natura et una hypostasis, et haec una natura

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Ps.* CIII, 32.

et una hypostasis est Deus et corpus et anima, quia aequalis est secundum naturam et hypostasim cum Patre et Spiritu sancto in una natura, et in hypostasi sua est sicut unus ex eis. Sed quomodo haec una hypostasis tres partes habet et est eiusdem substantiae sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, qui in hypostasibus suis has tres partes non possident, quarum quaedam moriuntur et quaedam non moriuntur? Vae profecto illis Theopaschitis, et iis qui negant assumptionem capitis generis nostri et iis qui confundunt naturas et negant proprietates hypostaseon earum!

Rursus, alio modo. « Deus Verbum, qui incarnatus est, totus mortuus est ». Ergo mortua est anima eius, et ipse non factus est similis nobis in omnibus, quia ecce animae nostrae non moriuntur, iuxta verbum Domini. Quod si anima non moritur et divinitas mortua est, est anima eius fortior divinitate eius quia in istam praevaluerunt crucifixores, dum anima, sicut passer, mortem effugit et in tutum recepta est, quemadmodum ipse dixit ad Patrem suum: « Animam meam in manus tuas depono [1] ». Et divinitatem eius superaverunt, et eum ligaverunt et crucifixerunt et vita spoliarunt, et factus est nihil. Ergo etiam hypostasis Dei Verbi incarnati divisa est in seipsa secundum esse suum, et facta est in medio deserta, et Theopaschitae illam impie diviserunt: quod est de quo orthodoxos accusant eo quod hi veritatem praedicant, sicut docent Scripturae, et explicant duas esse naturas et duas hypostases, formam Dei *et* formam servi, templum et habitatorem eius, et ipsum habitatorem suscitasse templum suum quod morte solutum erat, quia divinitas eius non mortua est nec moritur; quod si moritur, ad nihilum redigitur.

*Rursus, alio modo. Si unio est hypostatica, quemadmodum nos sumus hypostasis humana, sic est unio Dei Verbi et humanitatis eius. Ecce vero in hac nostra unione, etsi anima a corpore tempore mortis discedit, anima tamen remanet absque operatione in immortalitate naturae suae. Dic mihi: Hanc ergo unam hypostasim Dei Verbi incarnati mors, quae illam aggressa est, prostravit? et ecce solutio unionis hypostaticae. Cum corpus esset in sepulcro et anima in paradisum translata esset, quo p. 261.

[1] Luc., xxiii, 46.

discessit divinitas eius et quo in loco mansit his tribus diebus, si non erat in corpore nec in anima? Ergo divinitas finita est et in uno loco mansit absque operatione. quemadmodum mortui, dum mortui sunt, non operabuntur donec anima et corpus ad invicem revertentur die resurrectionis, quia utrique etiam locus specialis est ubi manebit usque ad resurrectionem. Et quisnam sit locus *Dei?* Si non est in loco, sed ubique, tunc erat per naturam suam infinitam etiam in corpore suo quod erat in sepulcro, et in anima sua quae in paradiso erat, quia et dictum est nomine humanitatis eius: « Non dereliquisti animam meam in inferno, nec dedisti sanctum tuum videre corruptionem [1] ». Si unio non soluta est, sicut nec soluta est, et hi impie dicunt Deum hypostatice mortuum esse in carne, et fuisse in carne sua mortua cum posita esset in sepulcro et mortuum esse in ea, et fuisse in anima dum haec erat in paradiso et natura eius in immortalitate servata est, quomodo Deus hypostatice mortuus est cum anima cui unitus erat dum anima non p. 262. mortua est? *et etiam mortuus est cum corpore, quod erat in sepulcro et ipsi unitum? Ergo, iuxta impietatem eorum, pars huius hypostasis est mortalis, id est, corpus et Deus, pars autem immortalis, id est, anima. Quod si est hypostatice immortalis cum anima et hypostatice mortalis cum corpore, ergo ipsemet est in se divisibilis; ergo Deus Verbum triplici modo differt a Patre et Spiritu sancto; per partem partis unius hypostasis, et per mortem partis Dei Verbi redempti sumus, non per mortem totius; quae blasphemia sit super caput Theopaschitarum haereticorum *qui impie profitentur* unionem naturalem et hypostaticam, et non confitentur proprietates utriusque *naturae* servari uni personae oeconomiae huius adorandae. Si ergo servantur proprietates duarum naturarum Christi in hypostasibus earum, sicut et servantur, id est quod Deus Verbum *servatur* in infinitate sua aeterna, et in impassibilitate sua, et in immutabilitate sua, et ipse est fortis solus cum Patre et cum Spirito sancto, una natura invisibilis et incorruptibilis, et maiestas eius est infinita, secundum verbum Scripturae, et ipse est sicuti est, et servatur in humanitate sua cum proprietate hypostasis suae *homo eius, seu* corpus eius cum anima eius in una hypostasi

[1] *Ps.* xv, 10.

subsistenti, *id est*, homo qui in natura sua finita non est coaeternus Deo, etsi unitus Deo Verbo in una filiatione, et est in ordine divinitatis in una adoratione et potestate. Quod si haec ita non sint, et hae proprietates non serventur in hac unione huius unius personae unius Domini Iesu Christi, tunc non exsistit natura divinitatis, nec natura humanitatis, nec assumens, nec assumptio, nec unio; sed omnia sunt prorsus phantasma, et ad nihilum redacta est unio et ea quae ad ipsam pertinent, et in nihil est spes haereticorum. *quia ecce Scri- p. 263. pturas mendaces dixerunt et non tenent illud: « Exspectamus eum venturum de caelo sicut visus est ascendere [1] », et inane est monitum beati Pauli qui, tempore consummationis cursus sui, tanquam depositum egregium et memoriale quod non debet oblivisci, dilecto suo Timotheo id mandat, *scilicet* ut vitam suam servet per confessionem orthodoxam humanitatis *Christi*, eumque monet ut illam fideles doceat ne errent et pereant a vita vera: « Memor esto Iesum Christum surrexisse a mortuis, qui est ex semine David, secundum evangelium meum; in quo mala perfero usque ad vincula quasi malefactor [2] ». Ecce non dixit: Memor esto illius qui est ex semine David, ne forsan suspicio oriretur eum aut mutatum esse in naturam divinitatis aut absorptum fuisse ab ea et non exsistere, ut impie dicunt blasphematores, sed: « Qui est ex semine David », et servatur in natura et hypostasi sua humana in unitate unius personae Iesu Christi, Filii Dei. Et in epistula ad Hebraeos, postquam narravit in tota sua epistula ea quae sunt divinitatis eius et ea quae sunt humanitatis eius in hac una persona Filii Dei, cum incepisset ab initio epistulae per id quod est Filii, absolvit per eamdem personam unitam, dicens: « Iesus Christus heri et hodie, ipse est et in aeternum [3] ». Scilicet, Christus servatur in natura sua et in hypostasi humana quae in tempore nata est ex beata Maria, et venit ad existentiam, et formata est per Spiritum sanctum: quod est illud: « Heri et hodie »: et servatur in proprietate sua et etiam in hypostasi sua divina quae ab aeterno est, ante saecula, sine mutatione, in aeternum: illud autem: « Ipse est », significat eum esse eamdem hanc unam personam, et hanc unionem non solutum iri nec confusum iri in aeternum.

[1] Cf. I *Thess.*, I, 10. — [2] II *Tim.*, II, 8-9. — [3] *Hebr.*, XIII, 8.

« Peperit Virgo Deum incarnatum ». Illud: Peperit, qualiter p. 264. est? *qua ratione et quomodo? Quasi ex natura eius? Quasi propter unionem? Secundum gratiam? Secundum legem? Qualiter? Si tanquam ex natura sua peperit hypostasim de hypostasi modo generationis, tunc peperit consubstantialem sibi et iste inde habuit initium. Unum ex duobus: Aut Virgo dea est secundum naturam suam et spiritus infinitus, et etiam ipsa est dea incarnata, et peperit Deum incarnatum ex natura sua; aut mulier est secundum genus suum, possidens animam et corpus, *id est*, hypostasim humanam, et peperit hominem in natura humanitatis eius, ut veritas rerum testatur, et ille quem peperit, possidet nomen Domini et Filii Altissimi secundum honorem propter unionem, dum natura eius humana, quae ex illa est, nata est unitive. Ergo si ille, qui incarnatus est ex ea, nomen est absque hypostasi, tunc non est incarnatus. Si natura divina ex ea nata est, carnem, quae in Virgine incarnata est, e quanam natura reputabimus? Ex natura divinitatis? Ergo divinitas est caro: quod si non est caro, tunc caro non est ex natura divinitatis, neque consubstantialis est naturae nostrae, quia non est ex natura nostra. Ergo caro non est caro, sed nomen carnis phantasticae. Quod si caro secundum naturam est illa in qua Deus Verbum incarnatus est et natus est, tunc caro consubstantialis est genitrici suae, et non est consubstantialis Deo; et Deus Verbum consubstantialis est Patri. Et propter unionem beata Maria dicitur mater Dei et mater hominis: mater hominis quidem, tanquam ex natura sua; mater Dei autem, propter unionem quae facta est *Deo* cum humanitate eius quae est templum eius ab initio formationis istius in utero, quodque unitive natum est. Et quia nomen Christi p. 265. *designat duas naturas in substantialitate earum, divinitatem et humanitatem eius, Scripturae dicunt beatam Mariam peperisse Christum, non Deum simpliciter et non unitive, nec merum hominem Deo Verbo non indutum, quemadmodum dicimus mulierem peperisse hominem, et non dicimus mulierem peperisse animam, aut peperisse animam incarnatam aut peperisse corpus.

Dic mihi: Virgo est Dei genitrix in quantum Deus est Deus secundum hypostasim, an in quantum incarnatus est? Si genitrix est in quantum *Deus* est Deus secundum hypostasim sicut Pater, tunc est dea etiam in natura sua, quia ex natura sua

peperit Deum consubstantialem Patri secundum hypostasim, et forsan etiam omnes mulieres sunt matres deorum secundum naturam. Si Maria non est consubstantialis Patri, sed creatura eius et mulier possidens corpus et animam, quomodo pareret ex natura sua eamdem hypostasim Dei Verbi qui ab aeterno ex Patre natus est ante omnia saecula? Quod si *Deus* est una hypostasis cum carne sua, et haec tota hypostasis tota nata est ex Maria, tunc ex natura sua illum peperit secundum duo, *id est*, secundum divinitatem eius et carnem eius. Si non secundum duo, sed secundum carnem eius, tunc carnem peperit ex natura sua, etsi unitam Deo quem secundum illam peperit, et per hoc nos sumus fratres Christi secundum carnem: « Ex carne eius sumus et ex ossibus eius [1] ». Quapropter decebat eum in omnibus similem esse fratribus suis. Etenim per naturam corpoream nos sumus fratres eius: ipse vero est nobis Dominus et adorandus omnibus propter unionem suam sublimem cum Deo Verbo, quia est cum eo unus Filius Altissimi in ordine divinitatis. Quod si ipse est eadem una hypostasis nata ex Patre, et ipse est eadem una hypostasis nata ex Maria, unum ex duobus eveniet: aut *natus est* ex Maria sine carne, *aut ex Patre secundum carnem. Si caro non p. 266.
est ex Patre et caro est ex Maria, divisus est in seipso a Patre et a Maria: a Patre quia carnem habet, et a Maria quia Deus est; et est singularis in hypostasi sua sola, et non habet naturam ex qua sit secundum totam suam hypostasim quae sub ea concludatur et in qua *natura* agnoscatur. Quod si Pater et Maria sunt duae naturae, et duae naturae divinitatis et humanitatis eius in eo agnoscuntur, tunc ipse est duae naturae et duae hypostases in una persona, Christus, Filius Dei; et res aliter se non habet.

Rursus, alio modo, Deus Verbum natus est ex Maria dum erat hypostasis completa ab aeterno, sicut Pater, an dum non erat *hypostasis* completa eo quod caro *eius* non exsistebat? Si dum erat hypostasis completa, sicut Pater, natus est ex Patre, tunc in hypostasi sua ex Maria non natus est, sed *natus est ex ea* in quantum incarnatus est, et caro eius non est hypostasis eius, sed hypostasis humanitatis: et ecce duae hypostases.

[1] *Eph.*, v. 30.

Rursus, alio modo. Si ante unionem erat una hypostasis non incarnata, et post unionem ipse est una hypostasis incarnata, et haec hypostasis consubstantialis est Patri et Spiritui sancto, ecce additio in Trinitate. Si non est additio nec esse potest, tunc caro est alia hypostasis, et est finita in suis, et natura eius servatur: quod si non servatur in natura sua, aut dissipata est sicut vapor sole, ut dicunt alii haeretici, aut commixta est cum natura infinita, et facta est infinita. Sed ecce Trinitas additionem non suscipit sicut nec deminutionem, sed est sicuti est.

Rursus, alio modo. Caro Verbi consubstantialis est Verbo p. 267. *aut consubstantialis est Virgini. Si consubstantialis est Verbo, tunc etiam Pater et Spiritus sanctus incarnati sunt, et falsum inventum est illud verbum: « Factum est caro et habitavit in nobis », id est, sumpsit carnem et habitavit in ea tanquam in templo suo, ut demonstratum est a beato Paulo: « Forma Dei formam servi sumpsit, et factus est in similitudinem hominum [1] », et: « Manifestatus est in carne [2] ». Ergo si Pater et Spiritus sanctus non sunt consubstantiales carni eius, *et* hypostasis Filii et caro sunt ipsamet hypostasis Verbi et non aliud, tunc hypostasis Dei Verbi diversa est a Patre et a Spiritu sancto quoad naturam. Ergo Trinitas non est Trinitas in omnibus aequalis, sed dualitas in omnibus aequalis: et ecce blasphemia pessima.

Rursus, alio modo. Caro Verbi consubstantialis est Mariae? « Utique ». Caro Verbi est cum eo una natura et una hypostasis? « Utique ». Ergo Maria et Deus Verbum sunt una natura, etsi hypostasi differunt sicut Pater a Spiritu.

Rursus, alio modo. Si divinitas Verbi est cum carne una hypostasis, et haec hypostasis consubstantialis est Mariae, tunc Pater et Filius et Spiritus sanctus et Maria sunt una natura, et etiam omnes homines sunt cum Deo una natura, quia Maria est filia hominis. Ergo etiam omnes creaturae sunt cum Deo una natura, quia homo est vinculum et cingulum totius creationis. Ergo non est discrimen inter Deum creatorem et aeternum et creationem eius temporaneam. Quae blasphemia sit super caput eorum qui impie dicunt unionem naturalem et hypostaticam in

[1] *Philipp.*, II, 6-7. — [2] I *Tim.*, III, 16.

Christo, *et in confessione sua non servant proprietates naturarum quae in hypostasibus suis agnoscuntur. Etenim, non est natura quae in hypostasibus non agnoscatur differre ab alia natura per proprietatem suam. et non est hypostasis quae sub natura non includatur et in qua proprietas eius non agnoscatur, quia Paulus non est Gabriel angelus secundum naturam. p. 268.

Rursus, alio modo. « Caro Verbi ipsa est hypostasis et natura eius ». Haec caro. quae est natura Verbi. recenter facta est, an caro est ab aeterno? Si ergo recenter facta est et haec caro est natura Dei Verbi. tunc omnes. qui negant assumptionem capitis generis nostri, deum novum adorant.

Rursus, alio modo. Si Deus Verbum factus est caro hypostatice. et haec caro est natura Dei, non autem caro sumpta de semine Abraham. ut docet veritas. et haec caro, hypostasis dei novi qui non exsistit ab aeterno cum Patre. formata est a Spiritu sancto. sicut dictum est: « Is qui nasciturus est ex te. ex Spiritu sancto est [1] ». tunc Spiritus sanctus deos format et facit. et Deus Verbum duo patres habet: unum. Patrem qui est sine carne ab aeterno. et alterum. Spiritum sanctum. a quo in tempore formatus est secundum carnem, et Maria est mater eius supervacanee et secundum nomen inane.

Rursus, alio modo. Quia Deus Verbum hypostatice natus est ex Patre sine matre. eodem modo natus est hypostatice ex Maria sine Patre? Ergo hoc: Ex Maria sine Patre. idem est ac illud: Ex Patre sine matre, et *Maria* peperit spiritum. non autem carnem consubstantialem sibi: et peperit infinitum. non autem finitum sicut seipsam: aut forsan Pater carnem genuit. *non Deum Verbum sibi consubstantialem. Si ille. qui natus est. idem est in hypostasi et natura sua ex Patre et ex Maria, tunc Pater et Maria sunt una natura. sicut Adam et Heva qui genuerunt Seth consubstantialem sibi. secundum naturam suam et hypostases suas. et similem sibi in omnibus quoad naturam. Si *Deus Verbum* natus est complete et ab aeterno in hypostasi sua ex Patre sine matre, unde est ex matre sine Patre, cum Pater non sit praesens? Et quis est quem *Virgo* peperit? Si peperit eum secundum naturam suam sine Patre, ille. quem peperit, non est consubstantialis Patri. sed consubstantialis ipsi. p. 269.

[1] MATTH., I, 20.

Quod si non peperit consubstantialem sibi, sed eumdem consubstantialem Patri, tunc Maria supervacanee appellata est mater eius, cum ille non sit ex natura eius, aut forsan ille per eam transivit tanquam per canalem et finite. Aqua autem, quae per canalem fluit, non vocatur proles canalis.

Rursus, alio modo. Si caro Verbi est creata et formata, et caro est hypostasis Verbi, tunc Verbum secundum hypostasim suam est creatum et factum: et ecce impietas ariana. Quod si caro Verbi non est creata nec facta, tunc exsistit hypostatice ab aeterno cum Deo Verbo.

Rursus, alio modo. Quidquid exsistit secundum naturam et hypostasim, aut increatum est aut creatum, aut aeternum aut temporaneum. Itaque si caro Verbi increata est, tunc est creatrix in natura sua, sicut Pater et sicut Spiritus sanctus. Quod si aeterna est, non est temporanea, nec ex Maria temporanea, et evangelistae inaniter numerant generationes, et computant genealogias a summo ad imum et ab imo ad summum, et distinguunt qui sint patres eius secundum carnem tanquam ex natura, et qui sint patres eius tanquam ex institutione seminis legalis, et supervacanee vocaverunt eum « filium David, filii p. 270. *Abraham », et ex semine eius natum: nec est miraculum nec signum propheticum quod Virgo, mater eius, peperit eum absque concubitu. Non est enim miraculum illum, qui est in natura divina, absque concubitu nasci, quia spiritus est et expers seminis et materiae et cursus genealogiae. Ecce vero Deus Verbum, qui ab aeterno natus est ex Patre sine matre, ab illis immunis est.

Rursus, alio modo. Omnis hypostasis subsistens sub natura, ad quam pertinet hypostasis, includitur, nec potest naturam suam derelinquere et fieri consubstantialis alii. Et omnis natura in hypostasi, quae est sub ipsa, agnoscitur, sive in uno sive in pluribus. Etenim si discipulus scire velit in quibus hypostasibus Deus agnoscatur, statim discet ab eo qui Scripturam callet: In Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Item si velit cognoscere aut distinguere quaenam sit natura angelorum aut hominum, et in quibus unaquaeque agnoscatur, tunc dicet ei *paedagogus:* Natura angelorum agnoscitur in Gabriel aut in Michael, et natura hominum agnoscitur in Petro aut in Paulo; et etiam ei in proximo ostendet quosdam homines qui per hy-

postases suas sunt sub natura hominum in quibus agnoscitur universalitas naturae. Dic mihi: Nunc hypostasis carnis Verbi, quae, cum non esset, facta est, sub quanam natura ponitur et quaenam natura *in ea* agnoscitur? Si *natura* divinitatis, ecce natura divina non est caro, spiritus est enim, et aliquando non exsistebat caro illa. Si sub natura hominum *ponitur*, ecce inventa est veritas. Ergo homo Domini nostri, etsi unitus est et est in ordine divinitatis et adorandus in una adhaesione cum Deo Verbo, qui eum ad personam suam assumpsit et fecit secum unum Filium, attamen in natura sua humana unitive *natus est ex beata Maria, et est hypostasis de hypostasi eius p. 271. sicut David et Abraham ex quibus est, et est homo completus in omnibus suis, hoc excepto quod natus est absque concubitu, et est unitus et in ordine divinitatis. Dic mihi: Si evenit Dominum nostrum esse cum duodecim *discipulis* suis et fuisse iuxta eos hypostases et naturas alias, eo quod homo Domini nostri nunc visibilis erat per revelationem suam, — nam *Dominus* invisibilis est in divinitate sua, — cum quibus hypostasibus annumeratus est? Manifesto cum hypostasibus discipulorum suorum etsi erat eis sublimior propter ordinem divinitatis, quia Scriptura eum reputat etiam hominem secundum in hypostasi eius humana. Ergo Christus in duabus naturis et in duabus hypostasibus agnoscitur, quia in hypostasi sua divina infinitus est et invisibilis, sicut Pater et sicut Spiritus sanctus, et in hypostasi sua humana finitus est et visibilis: forma Dei, una de hypostasibus Trinitatis, et forma servi, una de hypostasibus humanitatis, homo Iesus unitive, in una persona Christi, Filii Dei, in aeternum. Ergo beata Maria bene et valde congruenter appellata est mater Christi, quae appellatio denotat unam personam unionis quae secundum naturam suam humanam est ex natura eius: secundum autem divinitatem suam non est ex natura eius; veruntamen in initio formationis hominis Domini nostri ex ea, Deus Verbum in eo habitavit sicut in templo et unitive et fecit eum secum unum Filium in aeternum.

Iteremus argumentum nostrum ad *uberiorem* explicationem. Dicimus quidem *Mariam* esse matrem Dei et matrem hominis: matrem hominis, tanquam ex natura sua; matrem Dei autem, quia *Deus* unitus est homini suo ab initio formationis eius.

et *homo* est ei templum in aeternum, et Deus et homo sunt propter unionem unus Filius, unus Christus. Dicimus eam pe- p. 272. perisse Christum, qui est persona *unionis, sed non dicimus Deum Verbum initium existentiae ex illa accepisse, quia ecce dictum est: « In principio erat apud Patrem, et Deus est [1] ». Sed non debemus dicere beatam Mariam peperisse hominem simplicem, ne simus Pauliniani [2] qui negant divinitatem eius unitam cum humanitate eius ad unam personam oeconomiae. Item *dicere* non *debemus* eam peperisse Deum nude, *id est*, non indutum corpore suo ab utero, quod est ei templum cum ipso adorandum in una adhaesione, in una unione filiationis in aeternum, ne simus Manichaei qui negant humanitatem eius et *dicunt* eum phantastice apparuisse. Neque *confitemur* sicut ii qui impie dicunt creationem et mutationem *in Verbo*, sed sicut dicunt Scripturae: « Generatio autem Iesu Christi sic erat [3] », et: « Liber generationis Iesu Christi [4] », quod est clara indicatio unitatis personae duarum naturarum quae servant proprietates suas in suis hypostasibus. « Ex quibus visus est Christus [5] »: ecce persona unionis: « secundum carnem »: ecce hypostasis humanitatis eius: « qui est Deus super omnia »: ecce hypostasis divinitatis. « Iesus Christus heri et hodie, ipse est et in aeternum [6] ». Illud: « Heri et hodie », ad humanitatem Christi pertinet: illud vero: « in aeternum », ad divinitatem Christi: illud autem: « Ipse est », *significat:* Ipse est haec una persona Christi, Filii Dei, in aeternum. Haec ergo est vera confessio Petrina, quae numquam concutietur in aeternum.

« Non separo assumptum ab assumente, ne sint duo filii; sed *dico: Verbum* factum est caro ». Certe non dicimus duos filios nec duos Christos, sed unum Christum qui est persona duarum naturarum in hypostasibus earum. Quod si haec ita non sint, ergo male locutus est beatus Paulus qui, postquam dixit: « Hoc sentite in vobis quod et Iesus Christus [7] », praeposita p. 273. persona unionis, venit ad *distinctionem hypostaseon: « Forma Dei », quae est hypostasis Verbi, « sumpsit formam servi ».

[1] Cf. Ioh., I, 1. — [2] Asseclae Pauli samosateni. — [3] Matth., I, 18. — [4] Matth., I, 1. — [5] *Rom.*, IX, 5. — [6] *Hebr.*, XIII, 8. — [7] *Philipp.*, II, 5.

quae est hypostasis hominis Iesu uniti. Ergo: « Factum esse » carnem audivisti, quia proprietas carnis est non esse ab aeterno nec in principio; et illud: « Habitavit », ad calcem eius positum, non intellexisti esse alium in alio, ut supra demonstratum est, nec quare appellationes coniunctae sunt simul, et primum hoc: « Factum est », ante illud: « Habitavit ». Septem quidem *voces* posuit evangelista et coniunxit: In principio, existentia, Deus, Verbum, caro, fieri, habitatio. Da igitur unicuique suum: forte aeternam existentiam carni, aut τὸ fieri Verbo? numquid « In principio » carni, aut habitationem τῷ fieri, aut « In nobis » τῷ « In Deo? ». At non ita evangelista res confudit et miscuit, ut non distinguantur et agnoscantur: sed quid? « In principio erat Verbum [1] », et venit secundum totum ordinem usque ad illud: « factum est [2] » eius qui, cum non esset, existentiam accepit. Quis est hic? Caro, quae non erat in principio, facta est. Et ad quem finem facta est? Ut Deus Verbum, qui eam ad personam suam sumpsit, in ea habitaret; et id est quod beatus Paulus exposuit. Igitur, si assumptus ipse est assumens, ad quid duo nomina et duae formae, forma in forma? Quomodo ille, qui factus est in similitudinem hominis, esset homo secundum naturam? Si illud: assumens et assumptus, aliquid unum secundum hypostasim denotat, conversim etiam legemus: Forma servi non rapinam arbitrata est esse se aequalem Deo; sed semetipsam exinanivit, et formam Dei sumpsit, et facta est in similitudinem filiorum Dei. Et illud: « Humiliatus est usque ad mortem », quod pertinet ad formam servi assumptam, conversim dicemus: Forma Dei, Deus Verbum, factus est oboediens usque ad mortem; propter quod homo valde *exaltavit illum, et dedit ei p. 274.
nomen quod est excellentius omnibus nominibus. Itaque in omnibus subvertetur ordo: homo erit Deus secundum naturam et assumens, et Deus erit assumptus, homo secundum naturam. His omnibus turpibus plena sunt verba eorum qui proprietates post unionem non concedunt.

« Quemadmodum corpus et anima sunt una hypostasis, homo, sic Deus Verbum et homo sunt una natura et una hypostasis constituta ex Deo et corpore et anima ». Sub quanam natura

[1] Ioh., i, 1-14. — [2] Ioh., i, 14.

illam *hypostasim* ponemus? Si Deus *est* qui incarnatus est, ecce Deus Verbum non constituit naturam et hypostasim distinctam quae diversa sit a Patre, etsi incarnata. Item *compositum*, animam et corpus, non vocamus animam incorporatam, sed hominem, quod nomen denotat hypostasim unionis naturalis. Et etiam illud: Deus incarnatus, non denotat nomen hypostasis carnis in qua incarnatus est. Etenim in illo: Incarnatus est, sciunt sapientes aliud esse carnem secundum naturam et hypostasim, et aliud esse Deum Verbum secundum naturam et hypostasim, eumque incarnatum esse in carne. Fieri enim non potest ut arma militis, et vestimentum vestientis, una natura et una hypostasis sint cum eo; neque, eo quod miles armis suis instructus est et induens vestimentum suum induit, dicimus militem cum armis suis, aut induentem cum vestimento suo, esse unam hypostasim, quia miles includitur in natura cum militibus sociis suis et etiam secundum hypostasim est sicut unus ex eis, et arma cum aliis armis et vestimentum cum aliis vestimentis numerantur, et aliud est miles in hypostasi sua, et aliud arma quibus instructus est. Ita aliud est Deus Verbum in natura et hypostasi sua, et aliud corpus et anima, quae sunt hypostasis humana, quam unitive ad personam suam sumpsit, quaeque est eius vestimentum et templum et habitaculum. Na-
p. 275. tura vero et hypostasis Dei Verbi *consentiunt in omnibus suis cum Patre et Spiritu sancto, praeter paternitatem et processionem; una enim est essentia infinita. Nec fieri potest ut quaedam partes hypostasis sint finitae et quaedam infinitae, quaedam sint ab aeterno et quaedam sub tempore. Homo autem est corpus et anima, quae sunt partes unius hypostasis humanae quae constituta est operatione Dei creatoris; haec unio est hypostatica et finita et passibilis; et una pars absque socia sua non operatur, nec patitur, nec agit, quia corpus vita animae vivit, et anima per illud discit et patitur, et *corpus et anima* sunt instrumenta, unum alterius, in una hypostasi, et si separantur ab invicem cessat operatio utriusque. Corpus enim non vivit *sine anima*, nec anima absque corpore suo patitur aut operatur ullam ex naturalibus rebus suis, etsi eius vita et ratio apud eam servantur tanquam in somnio absque operatione donec ad consortem suum redierit, quemadmodum non operantur partes corporis alicuius animalis, quod ex quattuor ele-

mentis est, cum corruptum est temperamentum aut soluta est compositio corporis, etsi servantur elementa ex quorum mixtionibus fit animal quodcumque. Et quemadmodum omne animal irrationale ex quattuor elementis est, et sine his quattuor animalitas in ipso non constituitur, sive sit leo, sive taurus, sive aliud quodcumque, ita absque corpore et anima non constituitur hypostasis humana, quia *anima et corpus* partes sunt hypostasis hominis, qui est vinculum totius creationis et imago invisibilitatis creatoris sui, per quem facta sunt et creata sunt omnia visibilia et omnia invisibilia, *et aliquid creatum et p. 276. factum non potest esse una hypostasis cum creatore suo. Neque cum hae partes hominis Domini nostri ab operatione sua tempore mortis cessarunt, id est, anima et corpus eius quae ab invicem separata sunt, dicimus unionem divinitatis a corpore et anima separatam esse, nam ecce dictum est: « Non derelicta est anima eius in inferno, neque corpus eius vidit corruptionem [1] ». Neque Deus Verbum his tribus diebus cessavit a faciendo et regendo et administrando omnia cum Patre et Spiritu sancto. Etenim divinitas vitam corpori non dabat, quia corpus per animam vivebat sicut *apud* omnes homines: « Animale et demum spiritale [2] »; et ubi *Christus* animam suam tempore crucifixionis tradidit, divinitas a corpore non discessit. Etsi divinitas in corpore erat, ei vitam non dabat quia non erat in eo hypostatice loco animae, sed ad personam unitam oeconomiae. Ubi autem anima in corpus rediit tempore resurrectionis, tunc corpus vivens factum est et templum surrexit in hypostasi sua humana et dum unitum erat Deo Verbo qui in eo erat. Ergo Deus non constituit cum templo suo unionem naturalem et hypostaticam et passibilem, sed unionem voluntariam et personalem: forma Dei, Deus Verbum, una de hypostasibus Trinitatis, et forma servi assumpta, una de hypostasibus hominum, homo Iesus, in una persona unita. Et duae naturae servantur in proprietatibus suis et in hypostasibus suis distinctis et unitis, et unus est Dominus Iesus Christus, Filius Dei.

« Misit Deus Filium suum et factus est de muliere [3] ». Bene. Filius completus erat in hypostasi sua, sicut Pater et sicut Spi-

[1] *Act.*, II, 31. — [2] I *Cor.*, XV, 46. — [3] *Gal.*, IV, 4.

ritus sanctus, quando missus est? « Utique ». Et qui factus est de muliere? Hypostasis Dei? Sed ecce erat hypostasis cum mitteretur. Ergo « effectio » quid fecit? Mutationem? « Minime ». p. 277. *Sed quid? « Hominem ». Si *Deus Verbum* non mutatus est, quomodo factus est homo? Secundum hypostasim? « Factus est *homo* et mansit *Deus* ». Utrum eligemus? Si illud: Mansit, ecce factus est: si illud: Factus est, ecce mansit; et effectio non est vera, nec qui mansit mansit, sed *hoc est* commentum et phantasma. Res ita se non habet, o excaecati; sed quia Scripturae nomine unionis loquuntur et tanquam de uno, quemadmodum illud: « Ex quibus visus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia [1] », intellegimus quaenam natura sit ex Iudaeis et quaenam sit natura quae est Deus super omnia; non enim ex Iudaeis est Deus super omnia, et quemadmodum illud: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [2] », etsi verba apponuntur coniunctim, verumtamen etiam hic intellegimus quenam sit natura quae, cum non exsisteret, facta est, et quaenam exstiterit in principio apud Patrem et unitive ad personam suam sumpserit corpus in quo habitaret, quia, cum sit ab aeterno, effectionem non potest recipere; ita et illud: « Misit Deus Filium suum et factus est de muliere [3] », idipsum de una persona dictum est, quia nomen Filii est persona unionis ab annuntiatione angeli Gabrielis et in aeternum, sicut dixit ad beatam Mariam: « Filius Altissimi vocabitur [4] », unus Filius Altissimi propter unionem ad Filium Altissimi. Et Paulus ait: « Locutus est nobiscum in Filio suo », et distinguit quae sint humanitatis eius in unione: « Quem constituit heredem universorum », et quae sint divinitatis eius in unione: « Ipse est splendor gloriae eius et imago substantiae eius [5] ». Ita et in illo: « Misit Deus Filium suum et factus est de muliere [6] », 'missus' dictum est propter concordiam voluntatis, — non enim dum non exsistebat missus est, — et quemadmodum dictum fuit: « Missus est Spiritus sanctus qui de Patre procedit [7] » — non autem servorum more et per iussum missus est, sed propter consensum et concordiam voluntatis, p. 278. — *et quemadmodum Filius ad Patrem dixit: « Serva eos in no-

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] Ioh., I, 14. — [3] *Gal.*, IV, 4. — [4] Luc., I, 35. — [5] *Hebr.*, I, 2-3. — [6] *Gal.*, IV, 4. — [7] Cf. Ioh., XV, 26.

mine tuo [1] », et: « Glorifica Filium tuum ut Filius tuus glorificet te [2] », *dictum est, inquam,* ut doceret unam esse essentiam et unam esse voluntatem Trinitatis. Etsi *Scripturae* aliquando loquuntur nomine humanitatis, sicut illud: « Pater qui misit me, maior me est [3] », et alia huiusmodi, hic tamen haec dicuntur propter consensum et quia una est voluntas, ne homines putarent hypostases adorandas diversas esse ab invicem in essentia et voluntate sua. Hoc est enim quod hic indicat illud: « Missus est », quod nos docet hypostasim Dei Verbi et unam esse voluntatem eius cum Patre et Spiritu sancto. Illud autem: « Factus est de muliere », de hypostasi humanitatis eius unitae dictum est, sicut dixit beatus Paulus alio loco: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati propter peccatum [4] »: quod idem est ac illud: « Factus est in similitudinem hominum [5] », et non est mutatio, nec variatio. Caeci quidem sunt qui his margaritis offendunt et etiam excoriantur gradibus ordine dispositis: iis non distinguuntur et pares sunt acervi lapidum et acervi auri, propter tenebras intellegentiae eorum, et propter hanc caecitatem et tenebras intellegentiae multiplicatus est ingens numerus haereseon quae se invicem ad interitum suum refellunt.

« Deus incarnatus est ‘Unctus’ ». Dic mihi: Carneitas eius uncta est oleo unionis prae consortibus eius, an divinitas eius incarnata? Si carneitas eius, non divinitas eius, uncta est, ecce duae naturae et duae hypostases: una ab aeterno est in hypostasi sua divina, siquidem divinitas eius unctione non indiget ut propter unctionem fiat aliis praestantior, et altera hypostasis est homo eius qui unctus est ut esset Filius et Dominus *per unionem cum Deo Verbo, qui eum ad personam suam sumpsit ut iste esset *cum ipso* unus Filius in aeternum. Quod si Deus Verbum incarnatus cum carne sua hypostatice unctus est oleo unionis prae consortibus suis, qui sunt consortes eius secundum naturam? Consortes eius quidem secundum naturam sunt Pater et Spiritus sanctus. Ergo Deus Verbum unctione sua effectus est excellentior consortibus suis, quia consortes eius, sicut dixi, sunt Pater et Spiritus sanctus. Sed

p. 279.

[1] IOH., XVII, 11. — [2] IOH., XVII, 1. — [3] IOH., XIV, 28. — [4] *Rom.*, VIII, 3. — [5] *Philipp.*, II, 7.

in quo, quaeso, factus est excellentior eis, o blasphematores? Et quomodo Spiritus sanctus unxit illum et ipse excellentior est et maior Spiritu sancto qui unxit eum? Et quomodo praestantia et defectus sunt in Trinitate? Dic mihi: Deus Verbum unctus est in quantum Deus est, aut in quantum incarnatus est? Si in quantum Deus est, Deus Deum unxit oleo unionis prae consortibus eius: et quonam oleo Deus unctus est? Si unctus est quantum ad carnem, ergo hypostasis carnis alia est ab hypostasi Dei, et haec est veritas. Ergo templum Dei unctum est in initio formationis suae ut esset habitaculum sanctum in honore sublimi et propter unionem suam cum Deo Verbo unus Dominus unitive, unus rex in saecula, unus Filius in una persona unita Christi.

« Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus est pro nobis ». Id est, non miserebitur crucifixorum suorum. O hebetes corde! Sanctus immutabilis est in nomine proprio, etsi appellatio eius in modos diversos cadit. Quod si Sanctus immortalis est in natura sua et immutabilis in essentia sua, ipse est fortis solus: quomodo mutatus est de immortalitate ad mortalitatem, et rursus de mortalitate ad immortalitatem?
p. 280. *Et quomodo Fortis debilis factus est et infirmus coram crucifixoribus, ille qui est fortis solus? Et quomodo potuerunt aggredi et tenere eum qui omnia tenet virtute verbi sui, cum teneret illos nutu voluntatis suae? Quomodo extulerunt et suspenderunt inter caelum et terram illum qui est spiritus infinitus? Quomodo crucifixerunt hoc Lumen de lumine? Certe lumen non crucifigitur nec vita moritur, o perditi vita! Ecce ipsa confessio vestra impia seipsam confutat: « Immortalis qui crucifixus est pro nobis ». Si immortalis est in natura sua, quomodo crucifigitur in natura sua et moritur, o crucifixi a diabolo in impietate exitiali. Propter hoc cotidie vos crucifigimini cum collariis ligneis a manibus fortium, quia nemo est inter eos qui audeat hanc blasphemiam: Deus moritur, proferre, et nulla est ex haeresibus quae audeat hanc locutionem palam dicere aut sentire.

« Voluntate sua crucifixus est et mortuus est ». Ergo voluntas eius fortior est eius natura quam crucifixit. Si voluntas eius crucifixit eum, etiam voluntas eius fecit ut ipse non sit Deus, quia ille qui moritur non est Deus secundum naturam.

Dic mihi: Voluntas eius, quae occidit eum, ipsa mortua est cum eo? Ergo, cum surrexit, surrexit absque placito voluntatis suae, quia ille qui moritur alio fortiore quam ipso opus habet qui suscitet eum, sicut dixit Veritas de templo suo quod solutum est quodque ipsa suscitavit. Et Paulus explicat: « Etsi crucifixus est in infirmitate, surrexit tamen virtute Dei [1] ». Ergo non Deus naturaliter crucifixus est in infirmitate et surrexit virtute alius Dei se fortioris, o Ariani maledicti. Si mortuus est et voluntas eius non mortua est cum eo, sed voluntas eius suscitavit illum, tunc alius est in hypostasi sua a voluntate sua, et alia est voluntas eius ab eo in hypostasi sua. *Dic p. 281.
mihi: Placito voluntatis suae mortuus est? Quomodo voluntas habet voluntatem (?), et *quomodo* est voluntas quae vult et *voluntas* quae non vult? Vere maledicta est vita vestra, haeretici litigiosi. Iudaei humanitatem eius crucifixerunt; et quia ipse opprobrium templi sui suum reputavit, eo quod illum crucifixerunt in quo Deus Verbum habitabat per modum templi et unionis, — nam cum homo aliquod animal occidit et hominem suum socium occidit, etsi quoad occisionem res eadem est, tamen quia occidit corpus hominis in quo anima est, damnatur et in carcerem mittitur, — propter hoc scelus dederunt Iudaei poenas permultas: diruta est civitas eorum, combustum est templum eorum et factum est in desertum; et ecce dispersi sunt ad omnes ventos, quia crucifixerunt illum in quo Deus Verbum unitive habitat. Ita accidit hoc tempore apud Antiochiam miseram [2] et sociam eius [3] quae se coniunxerant, hac blasphemia pessima, ut crucifigerent Deum per infidelitatem. Et quia exinde incepit haec locutio impia ab Anastasio [4], rege iniquo, et mansit toto hoc longo tempore annorum multorum, quam diversis castigationibus punita est haec misera civitas [5] captivitatibus et excidiis multoties et variis calamitatibus, et a blasphemia sua se non averterunt. Ecce nunc omnino desolata est incolis suis crucifixoribus Dei: alii interfecti sunt; alii in captivitatem abducti sunt, et alii ad omnes ventos dispersi sunt, ut discerent omnes quodnam supplicium

[1] II *Cor.*, XIII, 4. — [2] Intendit auctor expeditionem Persarum in Syriam sub initiis Heraclii imperatoris. — [3] Fortasse alludit ad expugnationem Hierosolymorum, anno 614, vel Constantinopolim intendit. — [4] Anastasius I, 491-518. — [5] Antiochia.

venturum sit super eos qui Deum crucifigunt et creatorem suum interficiunt. Iudaei quidem hominem Domini nostri semel crucifixerunt, et hoc in ignorantia fecerunt, quia nesciebant divinitatem eius unitive habitare in humanitate eius: hi autem miseri Deum, qui est vivus et vivificator, et spiritus infinitus, p. 282. et fortis solus, ecce *cotidie crucifigunt et interficiunt. Et utinam ab una de hypostasibus Trinitatis malitia eorum forte parum remitteretur, et Pater et Spiritus sanctus ad vitam nostram a crucifixione et morte servarentur! Sed nunc impii totam Trinitatem, non Deum Verbum tantum, singulis horis crucifigunt: « Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus est pro nobis ». Ecce tota natura divina est Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, non una de hypostasibus *tantum*. Haec blasphemia sit super vos, o digni omnibus suppliciis. Ecce ad tempus derelicti estis in his miseriis vestris propter spem poenitentiae, aut quia forsan fideles propter illas fient, aut ut per illas orthodoxi probentur, sicut relictus est Satanas et omnes sectae [1] propter liberum arbitrium et libertatem usque in diem retributionis. O quam dolose egit Satanas maledictus cum genere nostro misero! O quam astutus ad decipiendum! Illos enim patres natorum, qui natura sua mortales erant, decepit, dicens: « Non moriemini, sed eritis sicut dii [2] ». Hic autem hos miseros decepit, dicens: Ipse Deus passus est, et mortuus est, et crucifixus est pro vobis!

Rursus, quid dicunt excaecati? Dicunt se sensu subtili agnoscere duas naturas et duas hypostases. Ergo duos sensus habetis? unum subtilem quo estis christiani, et alterum crassum et bestialem quo estis impii et negatis primitias capitis generis nostri exaltati, o Theopaschitae? In resurrectione, cuiusnam sensus recipietis mercedem? Si enim pro subtili recipietis merp. 283. cedem bonam, etiam pro crasso *mercedem malam recipietis? Ergo dimidium hypostasis vestrae erit in Gehenna, et dimidium non cruciabitur? Sed omnia verba vestra turpia sunt: nostra autem consentanea sunt veritati, quia hoc sensu, quem accepimus, confitemur Christum, qui est duae naturae et duae hypostases in una persona filiationis, crucifixum esse et passum esse et mortuum in natura sua humana quae est tem-

[1] Vel « omnia numina ». — [2] *Gen.*, III, 4-5.

plum eius unitum. Et post tres dies illud suscitavit Deus, qui in eo erat, qui non crucifixus est, nec passus est, nec mortuus est, nec morietur, nec mutabitur; et ipse est qui post tres dies suscitavit templum suum unitum, illudque passione eius perfecit ad immortalitatem et immutabilitatem: « Decebat eum, per quem omnia et propter quem omnia, qui est Deus Verbum, principem vitae hominum, qui est homo eius unitus, Iesus e Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute, passionibus perficere [1] » ad immortalitatem. Et quia homo eius unitus factus est oboediens et semetipsum humiliavit usque ad mortem, propter hoc Deus, qui in eo erat, valde exaltavit illum ut iste esset cum eo in unitate unius personae Christi, Filii Dei, in una adoratione in aeternum: « In nomine Iesu omne genu flectetur, et omnis lingua confitebitur quod Dominus Iesus Christus est in gloriam Dei, Patris sui [2] ».

« Confitemini vos sumere, non corpus et sanguinem Dei, sed corpus et sanguinem hominis ». O iniqui! Certe Deus est spiritus infinitus et lumen de lumine, non autem corpus secundum naturam suam. Dic mihi: Illud « Corpus Dei » qualiter confitemini? Quasi ipsam naturam Dei manducetis an propter honorem corporis ob commemorationem passionis archetypi, quod est homo Domini nostri, dum hic panis est per virtutem et propitiationem unum *corpus Filii Dei propter illapsum sancti- p. 284.
ficantem Spiritus sancti? Ergo non naturam Dei manducatis, o stulti. Quomodo id fieri posset? Ecce enim *hic panis* est panis secundum naturam, per sanctificationem autem Spiritus sancti est corpus typicum illius corporis dominici quod est in caelo unitive; et est nobis unum corpus in uno nomine, in una sanctitate et virtute custodienti. Secundum naturam quidem est panis; per virtutem autem propitiatoriam et sanctificantem, quam acquisivit per illapsum Spiritus sancti, est unum corpus Christi. Ecce, o iniqui, non hoc corpus dominicum, quod est in caelo, cotidie frangimus et occidimus super altare; hoc enim semel fractum est in cruce, et intravit in gloriam suam, ut ipse *Dominus* docuit et apostoli eius explicaverunt: « Mortuus est semel, et immolavit peccata multorum [3] »; et: « Nunc autem Christus surrexit a mortuis, et amplius non moritur [4] ».

[1] *Hebr.*, II, 10. — [2] Cf. *Philipp.*, II, 8-11. — [3] *Hebr.*, IX, 28. — [4] *Rom.*, VI, 9.

Id, quod sumimus, non est corpus eius secundum naturam, sed commemoratio passionis eius et consolatio ad augmentum nostrum in veritate eius et custodiam nostram ab omnibus malis. Et brevi *illud corpus* nobis mystice praestat, quotiescumque illud cum fide non ambigenti et amore ferventi tanquam archetypum eius aspicimus et amplectimur eique coniungimur communione vivificanti in uno spiritu, omnia quae archetypum eius nobis plene daturum est cum de caelo revelabitur: vitam, laetitiam, et plenam remissionem peccatorum nostrorum: « Qui manducat corpus meum et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo [1] », et: « Ego resuscitabo eum in novissimo die [2] », et: « Qui non manducat corpus meum et non bibit sanguinem meum, non habet vitam in semetipso [3] ». Ecce non naturam Dei manducant terreni, o impii, sed hunc panem quem benedixit et fecit corpus typice, non secundum naturam, sed per virtutem propitiatoriam et pignus vitae, unum corpus: « Nisi manducaveritis corpus Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis [4] »;
p. 285. *et: « Spiritus est qui vivificat; corpus, tanquam ex natura sua, non prodest quidquam [5] ». Ecce ipse dixit et explicavit nos sacramentum corporis humanitatis suae typice manducare et bibere, non naturam divinitatis suae, sed commemorationem passionis suae quae nobis velut in figura praestat omnia archetypi sui usque ad adventum eius, quando typi et sacramenta cessabunt et archetypum omnibus adorandum revelabitur.

Et audiamus apostolum eius per quem loquitur: « Et accepit Iesus panem, et benedixit, et fregit deditque discipulis suis, dicens: Sumite, manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; sic facite in mei commemorationem. Et accepit calicem, et gratias egit, et dixit: Sumite, bibite ex eo omnes; hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: Non bibam ab hoc tempore ex hoc genimine vitis usque ad diem quo bibam illud vobiscum novum in regno Dei [6] ». Ecce ergo audite, o miseri. « Et accepit Iesus panem »: ecce panem accepit qui secundum naturam suam erat panis ex tritico. « Et benedixit,

[1] Ioh., vi, 57. — [2] Ioh., vi, 55. — [3] Cf. Ioh., vi, 54. — [4] Ioh., vi, 54. — [5] Ioh., vi, 64. — [6] Matth., xxvi, 26-29.

et fregit deditque discipulis suis »: ecce hunc panem, quem accepit in manus suas, benedixit et fregit et dedit discipulis suis, non quidem corpus suum naturale, sed panem quem per benedictionem suam fecit corpus suum, non secundum naturam, sed secundum virtutem, in propitiationem et memoriam passionis suae ut esset nobis, loco corporis sui hypostatici, in solamen et consolationem et arrham vitae per spem futurorum sicut archetypum. « Hoc est quod pro vobis tradetur »: ecce illud vocavit corpus suum, non secundum naturam, sed propter benedictionem in memoriam corporis sui, ne mysteria simpliciter consideremus, sed ea consideremus sicut corpus dominicum, quia hoc in caelum ascendit, illud vero nobis dedit in memoriam passionis suae et solamen, quia pro nobis traditus est morti.

Ita et idem est de vino. « Accepit *calicem, et gratias egit, p. 286. et dixit: Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum [1] ». Ecce ergo vinum est quod benedixit Dominus noster, et panis est quem benedixit et fregit et dedit discipulis suis; *panis* non est secundum naturam hoc corpus quod in cruce lancea fractum est, nec *vinum* est sanguis ille qui effusus est in Golgotha. En igitur panem, quem benedixit et fecit corpus suum typice, manducaverunt discipuli, et calicem post illum biberunt; et ecce nondum crucifixus fuerat. Quapropter non corpus eius naturale, quod est in caelo unitive et sublimiter, manducamus; nec naturam Dei manducamus, o excaecati, sed panem qui illapsu sanctificante Spiritus sancti per virtutem propitiatoriam fit et est corpus eius, non secundum naturam, sed in commemorationem passionis eius. Audi et beatum Paulum per quem Christus locutus est: « Calix ille gratiarum actionis, cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? et panis ille, quem frangimus, nonne est communicatio corporis eius? Quemadmodum igitur unus est panis ille, sic nos omnes unum sumus corpus: siquidem nos omnes ex uno illo pane manducamus [2] ». Num forte dixit tibi nos naturam Dei manducare aut nos corpus naturale Christi, quod est in caelo, manducare et sanguinem eius naturalem bibere? Sed *dixit* hunc panem

[1] MATTH., XXVI, 27-28. — [2] I *Cor.*, X, 16-17.

esse communicationem corporis et sanguinis eius, non secundum naturam, sed secundum communicationem unius nominis corporis in una propitiatione, in una virtute spiritali: « Nos omnes ex uno illo pane manducamus [1] ». Non dixit: Nos omnes ex natura Dei manducamus, aut corpus naturale Christi, quod est in caelo, frangimus; siquidem ecce semel fractum est: « Semel obtulit seipsum per immolationem suiipsius ut auf-
p. 287. ferret peccatum [2]. Et quemadmodum *statutum est hominibus semel mori, post vero mortem ipsorum, iudicium, sic et Christus semel oblatus est et in seipso immolavit peccata multorum: secundo autem sine peccatis apparebit ad vitam eorum qui ipsum exspectant [3] ». Ergo non corpus eius naturale cotidie frangimus, o iniqui, sed panem illum qui est cum eo unum corpus secundum virtutem, non secundum naturam, quem dedit in commemorationem passionis suae, et in incrementum et custodiam vitae omnibus qui nativitate spiritali nati sunt, ut spiritaliter nutriantur et augmentum accipiant.

Rursus audiamus beatum Paulum. Quia res est valde necessaria, et propter blasphematores, secunda et tertia vice illam exponemus. Ait enim: « Ego accepi a Domino nostro quod tradidi vobis, quoniam Dominus noster Iesus, in ea nocte qua prodebatur, accepit panem, et benedixit, et fregit, et dixit: Sumite, manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis frangetur; sic facite in mei commemorationem. Similiter et postquam caenaverunt, etiam calicem dedit ac dixit: Hic calix est testamentum novum in sanguine meo; sic facite, quotiescumque biberitis, in mei commemorationem. Et quotiescumque manducaveritis panem hunc et biberitis hunc calicem, mortem Domini nostri revocabitis usque ad adventum ipsius [4] ». Ecce beatus Paulus explicavit nos manducare non corpus naturale Dei, sed hunc panem quem frangimus in recordationem mortis eius, usque ad adventum ipsius quando cessabunt typi et mysteria, et exemplar revelabitur. Etenim *hic panis* est panis secundum naturam, per illapsum autem Spiritus sancti et benedictionem typicam est corpus Domini nostri, non secundum naturam, sed per propitiationem, quemadmodum humanitas eius

[1] I *Cor.*, x, 17. — [2] *Hebr.*, ix, 28. — [3] *Hebr.*, ix, 27-28. — [4] I *Cor.*, xi, 23-26.

est cum divinitate eius unus Filius, non secundum naturam, sed per unionem, in una virtute, in una potestate, in una dominatione, et adoratione, *et exaltatione in aeternum. Equidem p. 288. si ipsam substantiam corporis naturalis Christi, quod est in caelo, cotidie frangimus et sumimus, et panis triticeus in corpus naturale Christi mutatur, tunc ad quid opus habemus adventu eius de caelo? et vane dixit Paulus: « Exspectamus spem benedictam et revelationem gloriae Dei magni et vivificatoris nostri, Iesu Christi [1] »; et: « Spes, quae videtur, non est spes: si enim illam videmus, cur exspectabimus illam [2]? » Et: « Per fidem ambulamus, et non per visum [3] »; et: « Nunc per speculum cernimus in aenigmate; tunc autem facie ad faciem [4] ». Visionem « per speculum » dixit de his mysteriis arrhae salutis nostrae, quae sunt mysteria et typi corporeitatis Domini nostri; « facie autem ad faciem », dixit ⌜de Christo archetypo [5], qui cum gloria sua magna revelandus est: « Tunc videbitis Filium hominis venientem in gloria sua magna cum angelis suis sanctis [6] ». Ergo non naturam Dei manducant terreni, o impii, filii talpae et progenies viperarum, nec corpus naturale Christi, qui est in caelo unitive et venturus est cum gloria sua magna in unione ad iudicandos vivos et mortuos, o iniqui et stulti, sed panem qui ponitur super altare et consecratur virtute Spiritus sancti per invocationes et supplicationes sacerdotis, et factus est corpus Christi, non secundum naturam, sed secundum virtutem et propitiationem, in remissionem peccatorum et augmentum nostrum in divinis, et custodiam nostri ab omnibus damnis, secretis et manifestis, et purificationem cogitationum nostrarum, *et probationem amoris nostri erga p. 289. archetypum suum, in virtute Spiritus sancti [7] . . . .

[1] *Tit.*, II, 13. — [2] *Rom.*, VIII, 24. — [3] II *Cor.*, V, 7. — [4] I *Cor.*, XIII, 12. — [5] Ad litt.: de archetypo Christi. — [6] MATTH., XXIV, 30. — [7] Reliqua desunt; manus recentior in L addidit: « In saeculum saeculorum. Amen. Explicit tractatus Mar Babai », coniectura, ut videtur. - In cod. A amanuensis hanc clausulam adiecit: « Explicit in adiutorio Domini nostri liber iste confessionis Nestorianorum, qui confitentur duas hypostases et duas naturas *in Christo*, et Spiritum de Patre procedere, compositus a Mar Babai. Deo sit gloria et super nos misericordiae eius iugiter, nunc, et semper, et in saeculum saeculorum. Utique et Amen ».

APPENDIX p. 291.

Item: Tractatus adversus eos qui dicunt: Quemadmodum anima et corpus sunt una hypostasis, ita Deus Verbum et homo sunt una hypostasis: auctore Rabban Mar Babai, archimandrita Coenobii Magni.

Homo quidem est vivens, et rationalis, et corporeus, et diversus in natura sua et hypostasi sua ab omnibus ceteris creaturis. Anima eius in corpore eius continetur, et illud solum vivificat; patitur propter passiones eius et sentit sensibus eius eique confert sensum et vitam. Ipsum *corpus* quoque patitur propter passiones animae et debilitatur cura cogitationum eius. *Anima* extra illud proprietatem suam nullatenus manifestare potest, nec cogitare, nec discere, nec operari ullo modo: ita enim unitive et hypostatice creata est in eo a Creatore. Eodem modo et ipsum *corpus* absque ea non vivit, nec movetur, nec patitur, nec operatur in suis; et in formatione sua in utero, donec *anima* in ipsum inspirata fuerit, est tanquam zoophyton, sine sensu, et cum incremento tantum. Homo non patitur numerari cum angelo aut cum animali quocumque, sed cum suo simili: non enim numeratur ordinatim primum homo, secundo angelus, tertio ovis. Anima corpori, quamdiu in eo est, non potest non dare vitam et motum et sensum: nec corpus potest dolorem experiri aut moveri nisi dum anima in eo est. Nunc nobis dicant Theopaschitae *qui Deum pati faciunt* per unionem hypostaticam: Numquid haec una hypostasis *unita, p. 292.
Christus, qui est Deus et homo, diversa est in suo esse hypostatico a Patre et Spiritu, et diversa est in suo esse hypostatico a ceteris hominibus, dissimilis Patri hypostatice in omnibus suis et dissimilis homini hypostatice in omnibus suis? Ergo haec hypostasis est unica in specie sua, nec Deus perfectus, nec homo perfectus.

Rursus, alio modo. Homo quidem omnino finitus est et limitatus. Anima eius enim continetur in corpore eius, et corpus eius concludit animam eius coacte, naturaliter, et hypostatice, utroque invito. Animae virtus et vita et voluntas et sensibilitas per omnia membra corporis in ictu oculi currunt, et anima

extra illud virtutem non habet aliud vivificandi, nec consequenter in operatione quacumque movendi. Etenim, etsi cogitatio eius ad distantiam vadit, natura eius tamen non vadit, sicut visus corporis, non natura eius, ad distantiam vadit. Nunc dicant nobis: Num Deus continetur in humanitate sua, et humanitas eius divinitatem eius concludit unitive et hypostatice, ad instar unius hypostasis *seu* hominis? Quod si in stultitia sua affirmant, ecce impietas et blasphemia, et anathematizantur a tota Ecclesia quae sub caelo.

Rursus, alio modo. Quemadmodum anima nonnisi socium suum vivificat et in eo solo operatur, num ita Deus Verbum non vivificat nisi humanitatem suam tantum? Quod si ita sentiunt, ecce fraus satanica cor eorum penitus tenet. Item nobis ad hoc respondeant: Quemadmodum anima, dum in corpore suo est, non potest ei non dare vitam et motum et sensum quia hypostatice uniuntur, *num* ita, dum corpus humanitatis Domini nostri erat in sepulcro sine anima, divinitas eius, quae
p. 293. erat in eo unitive, ei dabat vitam et motum et sensum, *et animam eius, quae erat in paradiso sine corpore, sapientem faciebat et docebat et erudiebat? Sed ecce hoc dicere non possunt quia, cum Dominus noster animam suam tradidisset et divinitas eius esset cum corpore in sepulcro et etiam cum anima in paradiso, corpus mansit absque vita et sensu, et anima absque cogitatione et operatione. Unio hypostatica humanitatis eius soluta est cum corpus esset absque anima, sed divinitas eius ab eo non separata est quia non unita erat corpori et animae hypostatice et finite, nec vices animae gerebat erga corpus, sed *unita erat* ad personam oeconomiae. Si haec ita non sunt, quid opus habuit anima?

Rursus, alio modo. Dictum est: Quicumque in Christo est, est nova creatura [1], et homo in corpore et anima, in una hypostasi, omnino renovabitur per resurrectionem a mortuis. Corpus eius induet incorruptionem et anima eius constantiam [2]. Nunc dicant nobis: Haec ergo una hypostasis, Christus, acquisivit aliquam renovationem per resurrectionem et facta est primitiae dormientium? Quod si negant, tunc *Verbum* corpus immortale et animam constantem sumpsit, et mendax est illud:

[1] II *Cor.*, v, 17. — [2] Id est, sine inclinatione ad malum.

« In omnibus factus est similis nobis absque peccato [1] », et *illud*: « Animale et deinde spiritale » [2]. Quod si *Christus* renovatus est, sicut et renovatus est, dicant nobis: Divinitas eius et humanitas eius hypostatice renovatae sunt in una hypostasi, sicut omnes homines, quisque in tota sua hypostasi, obtinebunt renovationem? Unum ex duobus apud eos eveniet, sive affirmant, sive negant. Quod si affirmant, ecce impium est *dicere* divinitatem renovatam esse, et peiores sunt Arianis. Si negant Christum renovatum esse, sicut Ecclesia confitetur eum esse primogenitum ex mortuis in humanitate sua seorsum a divinitate sua, anathematizantur, quia fieri nequit ut unius eiusdemque hypostasis *pars una renovationem acquirat, altera vero non acquirat. p. 294. Quod si dicunt eum in humanitate sua adeptum fuisse renovationem, in laqueum ceciderunt et diviserunt eum quem dicunt indivisibilem. Nos vero dicimus hypostasim humanitatis Adami secundi renovatam esse a divinitate eius, quemadmodum ipse dixit: « Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud [3]; *nam* impossibile est templum esse cum habitatore suo unam hypostasim cuius partes procul proiiciantur *per mortem* et aliqua pars, dum pars est, alias suscitet. Ergo Deus Verbum perfectus est in suo esse hypostatico sicut Pater, et templum eius perfectum est in corpore et anima, estque hypostasis humana, sicut omnes homines; per unionem vero divinitas et humanitas eius sunt unus Christus, unus Filius, una persona in aeternum.

Rursus, alio modo. Hi miseri dicunt: Duae naturae in Christo, una hypostasis. Dicant igitur nobis: Una de naturis Christi est tota Trinitas an una hypostasis de Trinitate? Quod si Deus Verbum est una hypostasis sicut Pater et Spiritus sanctus, est ergo una hypostasis, homo, Adamus secundus unitus, una de hypostasibus hominum: forma Dei, Deus Verbum, hypostasis perfecta, et forma servi quem sumpsit ad personam suam, homo Iesus, hypostasis perfecta.

Rursus, alio modo. Quaenam sit omnis natura quaecumque in singulis hypostasibus aut in pluribus distincte cognoscitur. Dicant nobis: Natura Trinitatis *agnoscitur* in divinitate et in humanitate eius? *Ergo* tota Trinitas est corpus et anima et

[1] *Hebr.*, IV, 15. — [2] I *Cor.*, XV, 46. — [3] IOH., II, 19.

Deus. Quod si natura divina agnoscitur tantum in hypostasi divinitatis Christi, sicut ipse dixit: « Pater meus in me et ego in Patre meo » [1], et: « Qui videt me, videt Patrem » [2], tunc natura eius humana diversa est in suo esse hypostatico a na-
p. 295. tura *Trinitatis; quia sancta Trinitas additionem non recipit sicut nec deminutionem. Et natura humana in Christo agnoscitur non esse hypostasis divinitatis infinitae; hypostasis divina in Christo agnoscitur non esse hypostasis finita: sed una est persona Christi, Filii Dei, in duabus differentiis: finitus et infinitus, in una unione, semel et in aeternum.

Rursus, alio modo. Num Deus Verbum, ante unionem, perfectus erat in sua hypostasi sicut Pater? Hoc, etsi stulti sunt, non negant. Ergo potuit humanitas eius additionem hypostasi eius facere aut forsitan hypostasis humanitatis deleta est. Quod si hoc impie dicunt, Deus Verbum finitus est in hypostasi sua et recepit additionem, et possibile est etiam omnes homines fieri naturam divinam secundum impietatem Origenis; et quemadmodum natura hominum, sicut ceterarum omnium creaturarum, ex nihilo ad existentiam venit et subiecta est formationi et figuris et formis, et denuo accepit naturam aeternam per unionem hypostaticam cum una de hypostasibus *divinis*, ita ergo natura aeterna potest fieri finita et mutabilis et etiam nihil, id est, non existens: quae blasphemia in eos revertatur.

Rursus, alio modo. Impossibile est partes unius eiusdemque hypostasis esse hic et ultra finite, et quasdam ex illis hic et ultra infinite. Etenim etiam hypostasis humana, quamdiu per unionem constat ex anima et corpore, non est corpus nunc, nec anima simul cum illo et ultra illud; neque alterutra pars, postquam unio earum soluta est, appellatur hypostasis *seu* homo. Ex parte vero unionis suae appellantur homo exterior
p. 296. et homo interior. Cum autem compositum hypostaticum *hominis solutum est, appellantur singillatim propriis *nominibus*: illud, corpus seu cadaver, et haec, anima: non autem *appellantur* homo secundum hypostasim. Deus quidem Verbum non continetur in humanitate sua [3], nec humanitas eius est infinita,

[1] Ioh., x, 38. — [2] Ioh., xiv, 9. — [3] Primum quidem scriptum fuit ܒܐܠܗܘܬܗ, quae vox correcta est in ܒܐܢܫܘܬܗ; utrum prima manu, nescimus.

quia ascendit et descendet unitive, et divinitas eius est in ea unitive et infinite, quia ad eam non pertinet ascendere nec descendere, — caelum enim et terra plena sunt ea infinite, — etsi descendere praedicatur *Deus Verbum* metaphorice, quia manifestatus est in carne et habitavit in homine.

Rursus, alio modo. Respondeant nobis: Haec una hypostasis, Christus, estne tota Deus tantum, an homo tantum? vel pars alia *homo* et pars alia *Deus*, sunt una hypostasis, Christus? Quod si *haec hypostasis* tota Deus est, non habet humanitatem: si tota homo, non habet divinitatem; et si est pars et pars, *non est nisi* compositum ex imperfectis, et etiam mixtio et commixtio secundum impietatem Arii et ceterorum haereticorum.

Rursus, contra eos et alio modo. Dicunt quidem et obiiciunt alio modo: « Natura et hypostasis animata, et natura et hypostasis corporea: per unionem vero et coniunctionem naturalem et hypostaticam *sunt* una natura et una hypostasis *seu* homo. Ita divinitas, *quae est* natura et hypostasis, et humanitas, *quae est* natura et hypostasis, coniunctae sunt in unam unitatem naturalem et hypostaticam, et una est natura et hypostasis Christi, Filii Dei ». Sed et hic telam araneae texuerunt. Etenim, operatio secunda est Domini naturarum, qui corpus et animam coniunxit naturaliter, unitive, coacte, et finite; quemadmodum *creavit* naturas simplices in simplicitate earum, ita et naturas simplices componit per unionem et mixtionem et commixtionem in singulis naturis subsistentibus, prout vult, ad unam operationem *ad quam* et se invicem sustentant et mutuo operantur. Deus autem Verbum, ante unionem, est hypostasis perfecta sicut *Pater, et in infi- p. 297.
nitate sua non recipit additionem, nec in scientia nec in rebus suis praeclaris, sicut nec deminutionem: « Tu es sicuti es »[1]; nec hypostasis eius componitur cum alia ad propriam actionem naturalem, nec Christus est pars hypostasis sicut corpus et anima sunt hypostasis unius hominis per unionem naturalem et necessariam. Anima enim in corpore habuit initium existentiae hypostatice et coniunctive, et in eo et ex eo accipit sensum sensibilitatis ad manifestandas proprietates suas ratio-

[1] *Ps.* CI, 28.

nales, et in eo discit, et in eo operatur et movetur et ei motum et actionem confert, et pars est hominis, non natura perfecta *seu* homo, sicut nec corpus *est natura perfecta*. Et *anima et corpus* se invicem mutuo sustentant in iis quae naturaliter possident: membra enim sunt invicem hypostaseos unius hominis. *Anima* absque corpore, cum ab eo separata est, exsistit et non exsistit: exsistit in quantum servatur natura eius et vita eius et rationalitas eius: et non exsistit in quantum non exercet operationes suas naturales: non recordatur, nec cogitat absque socio suo, sed remanet tanquam in quiete et somnio, sicut scriptum est [1]: quemadmodum nec *corpus* absque ea vivit, nec movetur, nec patitur, nec sentit, nec operationes suas exercet. Scilicet quemadmodum ignis et aqua et aer et terra sunt naturae in seipsis et separatim, verumtamen mutua mixtione et commixtione per sapientiam et actionem Creatoris sui constituunt alias naturas cuiuscumque animalis, leonis, inquam, et bovis, et aquilae, et ceterorum, et *hae quattuor naturae*, si eas in statu incomposito consideras, possident esse suum proprium per creationem suam propriam, et in unoquoque animali unaquaeque earum pars est quoad hypostasim animalis
p. 298. *cuiuscumque, et non dicimus unumquodque animal esse quattuor naturas sed unam naturam communem quae in hypostasibus agnoscitur et in qua *hypostases* colliguntur, ita et in hac unitate naturali et hypostatica *seu* homine. Cum enim *animam et corpus* in simplicitate eorum *seu in statu incomposito* consideras, aliud est anima secundum hypostasim, et aliud corpus secundum hypostasim, et etiam *aliud et aliud* in natura sua. Cum autem in unionem hypostaticam convenerint sicut membra in unum *corpus*, constituerunt unam naturam *seu* hominem, quae in hypostasi et in pluribus agnoscitur, et homo dicitur una natura communis, non plures naturae, quia *anima et corpus* per unionem suam necessariam constituerunt hypostasim distinctam propriae speciei quae non est tantum aer, aut ignis, aut aqua, aut terra, sive unitive sive per mixtionem, sicut hypostasis alicuius animalis; neque anima stabilitur in esse suo sine corpore, sicut angelus quidam qui simpliciter ferit, et circuit, et operatur, et patitur; sed cum

[1] Cf. Iob, III, 12.

corpore unita est naturaliter et cum eo constituit unum animal quod est vivens et rationale et corporeum et distinctum in specie sua ab angelis et a ceteris animalibus irrationalibus. Deus autem Verbum per unionem suam cum humanitate sua, quam ad personam suam assumpsit, constituit unionem, non necessariam, nec finitam, nec passibilem, sed voluntariam et personalem in adhaesione ineffabili. Nec *Christus* est hypostasis et natura ex partibus ad instar animae et corporis, sed *constat* ex naturis quae perfectae sunt in proprietatibus suis et in esse suo hypostatico naturali in unam personam oeconomiae, iuxta exemplum quod Patres adhibent de rubo et igne in una flamma et una virtute et operatione, servatis rubo et igne in una persona. Quod si quaeris ignem videre, unitur cum rubo, servata natura sua; et si vis rubum videre, *indui- p. 299. tur ignem, servata natura sua, et formatur ignis in eo, in una flamma. Ita et hic. Deus Verbum perfectus est in sua hypostasi sicut Pater; sumpsit vero ad personam suam et ad revelationem suam adorandam hominem perfectum, a Spiritu sancto formatum, in quo, ab initio formationis eius secundum ordinem naturalem, unitive habitavit in una adhaesione ineffabili. *Eum assumpsit,* non ut compleret naturam suam et hypostasim suam, sed ad unionem oeconomiae in unam personam filiationis, et ei dedit unitive omnia sua praeter naturam suam, sicut ignis rubo, et assumpsit quae sunt humanitatis eius personaliter, non naturaliter, sed quia in eo formam induit et revelatus est. Forma Dei formam servi sumpsit; et habitu inventus est ut homo, sicut ignis qui induit rubum, et sicut sol qui unitur splendori speculi in una persona splendenti speculi et luminis. *Verbum et homo* uniuntur propinque, et sicut ignis ferro, non autem cum distantia, neque finite — exemplum est enim — neque cum distantia personae non unitae, sicut Paulus assumebat personam Christi. Etenim Christus et Paulus non erant unus Paulus sicut hic unus Christus, unus Filius, Deus inhumanatus qui sumpsit formam servi in quo unitive habitavit, et homo deificatus qui accepit nomen excellentius omnibus nominibus, in una adhaesione, in una persona unius Domini Iesu Christi.

De illo: Cur persona datur et assumitur, dum hypostasis nec datur nec assumitur?

Hypostasis quidem est fixa et confirmata et possidet omnes

proprietates naturae communis: eam enim appellant οὐσιάν *substantiam*. Persona vero est fixa, sed assumi potest: fixa, p. 300. *quia indicat distinctionem hypostasis, *id est*, hanc hypostasim non esse illam; sed assumi potest ab alia hypostasi et indicat omnia quae hypostasis possidet in sua distinctione ab alia, sicut imago relative ad exemplar, et etiam cum distantia [1]. Tres sunt quidem hypostases adorandae sanctae Trinitatis in una essentia aeterna. Quod si vis eas distinguere et scire hanc non esse illam, hypostases earum personis suis distinguuntur. Pater enim indicat personam propriam hypostasis suae, eamque non esse Filium nec Spiritum; et Filius indicat personam propriam hypostasis suae, et Spiritus sanctus personam propriam hypostasis suae. Itaque humanitas accepit personam filiationis unitive sicut rubus ignem, sed non facta est hypostasis filiationis, quemadmodum nec rubus naturam suam amisit nec factus est hypostasis ignis, etsi plenus sit igne in una unione. Et etiam humanitas Filii est hypostasis subsistens, una de hypostasibus humanis sicut omnes homines, etsi non est hypostasis simplex, sed plena divinitate. Persona autem eius distinguitur non solum per hoc quod ad filiationem pertinet, sed etiam per hoc quod non est Paulus nec Petrus secundum hypostasim, quatenus per proprietatem hypostasis singularis differt ab alio, sive imagine sua, sive specie sua, sive forma sua pulchra, sive puritate animae suae, sive sanctitate sua sublimi, sive per hoc quod est in ordine divinitatis per unionem, sive per alia cetera. Intende igitur mentem tuam ad investigandum sapienter quomodo Filius possideat hypostasim et naturam, et sit in omnibus suis sicut Pater, et possideat personam propriam filiationis quia non est Pater nec Spiritus sanctus secundum hypostasim, et sit in natura aequalis et in persona distinctus. Ita et homo, quem ab initio formationis eius ad personam suam assumpsit, id est, Iesus a Nazareth, p. 301. possidet hypostasim fixam in qua agnoscitur, et possidet *omnia naturae communis in hypostasi sua quam et appellant substantiam singularem. Rursus, possidet in hypostasi sua, sicut dixi, personam propriam et fixam, et accepit personam filiationis unitive. Verumtamen non factus est persona filiationis

[1] Id est cum exemplar non sit praesens.

nisi secundum virtutem et actionem et nomen et omnia, quae Deus Verbum habet, in una adhaesione unius filiationis. Hypostasis enim, subsistens in esse suo, non assumitur nec additur alii hypostasi ut sit cum ea una hypostasis subsistens et possidens omnia naturalia. Persona vero assumitur, et remanet in propria hypostasi eius cuius est persona propria. Ergo humanitas Filii accepit unitive omnia divinitatis eius, — « datum est ei nomen excellentius omnibus nominibus, sicut et ipse dixit: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra » [1]. — in una unione, et virtute, et potestate, et actione, sicut rubus qui accepit quae sunt ignis, manentibus rubo et igne. Ita Deus Verbum sumpsit formam servi, et in initio formationis eius in eo habitavit in una adhaesione, non autem ut esset cum eo una hypostasis *seu* homo, sed una persona hominis per nomen humile, cui nihil aequale est, et habitationem, et unionem adorandam et ineffabilem: « Filius hominis qui est in caelo » [2]. Ex parte unionis divinitas eius infinita sumpsit nomen hominis eius, non secundum naturam: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret » [3]: ex parte vero unionis humanitas eius sumpsit nomen filiationis et honorem unitive, non secundum naturam. Deus enim non patitur nec moritur; homo autem Filii. *seorsum a divinitate p. 302. Filii, pro omnibus mortem gustavit. Ergo si simplicitatem, *id est, Deum Verbum et hominem extra unionem*, consideras, persona filiationis est hypostasis singularis Filii quae eum distinguit quatenus non est Pater; hanc autem personam filiationis homo Domini nostri sumpsit unitive, non cum distantia, nec ut esset hypostasis filiationis, sed persona filiationis. Et Deus Verbum, una de hypostasibus Trinitatis, sumpsit ad personam suam formam servi, et habitu inventus est ut homo. Non autem factus est homo secundum hypostasim, sed formam servi sumpsit. Alius est assumens et alius assumptus: « Habitu inventus est ut homo » [4]. Per habitum enim seipsum figuravit in homine quem induit in omnibus membris eius, sicut ignis rubum, sed non factus est hypostasis hominis. Hypostasis quidem humana in habitu humano invenitur, immo in natura

[1] Cf. MATTH., XXVIII, 18; *Philipp.*, II, 9. — [2] IOH., III, 13. — [3] IOH., III, 16. — [4] *Philipp.*, II, 7.

humana: « Manifestatus est in carne » [1], alius in alio. Et una eademque est persona filiationis, non vero secundum idem: unum est naturale et alterum assumptionis: et una eademque est persona humanitatis, non vero secundum idem: unum est assumptionis et alterum naturale. Non sunt duae personae filiationis quemadmodum non sunt duae hypostases Verbi; nec sunt duae personae hominis, sicut nec duae hypostases Iesu, sed una perosona filiationis, divinitatis et humanitatis, in una unione. Quapropter una est persona Christi, non duo Christi; et una persona Filii, non duo Filii; et duae hypostases in Christo, non vero una hypostasis composita secundum impietatem illorum. Quemadmodum domus cum incolis suis appellatur una domus, et civitas cum civibus suis una civitas in una persona, dum natura humana non est lapides nec ligna, p. 303. neque lapides *et ligna sunt natura humana: ita nec est Deus Verbum hypostasis et natura hominis qui est eius templum et habitaculum: nec eius humanitas, quae soluta est et quam in tres dies suscitavit, est natura divinitatis eius. Et quemadmodum corpus quod est in Ecclesia et corpus quod est in caelo sunt unum corpus in duabus differentiis et duabus naturis, in una virtute, in una propitiatione, et unus panis, non duo, sic unus est Filius et unus Dominus Iesus Christus in duabus naturis, in una persona in qua agnoscuntur duae hypostases divinitatis et humanitatis in una adhaesione, in una virtute, in una adoratione et potestate et dominatione et exaltatione, et in aeternum.

Adhibeatur ergo exemplum ex naturalibus ad illustrandum argumentum et *ostendendum* quomodo persona sumatur et permaneat, et hypostasis non sumatur. Affer aurum, et describe et incide in eo effigiem nomenque regis: affer etiam naturam aliam luti aut cerae, et signa eam signo quod in auro est. Ecce vides quod lutum sumpsit in se totam effigiem et litteras et omnia eius, dum non sumpsit signum et aurum in quo *signum* est. Itaque vides personam in duabus differentiis: in natura auri stabiliter et hypostatice, et in natura luti assumptive. Aurum possidet hypostasim suam propriam et personam stabilem, et lutum possidet hypostasim suam propriam et per-

[1] I *Tim.*, III, 16.

sonam assumptam; et una est persona, non duae, et duae sunt hypostases, non una. Haec *dici possunt* de forma humana, quae sumpsit personam divinitatis, tanquam per indicationem relate ad incomprehensibilitatem illam.

Rursus, alio modo et alia ratione. Affer speculum perpolitum et admove ad faciem (πρόσωπον) tuam. Ecce speculum sumit omnes formas eius, non autem hypostasim tuam; neque figuram tuam stabilem, sed totam faciem tuam. Et facies tua est in duabus differentiis: una *stabilis in hypostasi tua, et altera p. 304.
assumpta in hypostasi speculi: et una est facies, non duae; et duae sunt hypostases, non una. Ita Deus Verbum sumpsit et induit formam servi, et revelatus est et agnitus in ea; non autem factus est hypostasis hominis. Homo mansit in hypostasi sua stabili sicuti est, et est cum eo *Verbo* unitive. Ergo in homine hypostasis et persona hominis sunt stabiliter, et in Deo Verbo persona hominis est assumptive, non hypostatice, sed ut *Verbum* revelaretur in eo. Deus Verbum possidet hypostasim suam propriam, et persona filiationis sumitur in una unione stupenda et ineffabili, non quidem cum disiunctione, sed velut lamina ferrea quam ignis penitus induit. Ignis possidet hypostasim suam propriam, et ferrum hypostasim suam propriam; et una est operatio in utroque, in una unione quae est distincta et coniuncta. Ferrum, dum plenum est igne, ferit et frangit, et non dicimus quod ignis frangit: et ignis, qui est in ferro, urit: ferrum autem non urit tanquam ex natura sua. Ferrum percutitur, et contunditur, et incurvatur, et etiam pars ex eo abscinditur, sed non dicimus naturam ignis abscissam esse aut sumpsisse formas quas sumpsit ferrum, dum et proprietates eorum servantur in unione, nec pereunt. Etenim si vis, admove aliam materiam ad ferrum: ignis in eam irruit. Quod si exspectaveris paululum, calor et lux omnino dissipatae sunt de ferro: ferrum mansit in frigiditate sua naturali et in obscuritate sua; et ignis mansit sicuti est in hac alia materia cum calore et luce sua, et visum est quod non passus est detrimentum. Cum ferrum contunderetur, et excideretur et abscinderetur, ignis unitus erat ei idque induebat. Ita et divinitas nullo modo passionem accepit per unionem suam cum corpore, sicut neque figura et calor solis, *qui im- p. 305.
plet speculum perpolitum et fulget in eo et in omnibus eius

et irresistibiliter, *patiuntur* cum speculum percutitur, aut contunditur aut frangitur, etsi sol in eo est, et unitus est splendori eius in uno calore et luce. Quasi summatim, per haec omnia exempla ex natura et naturis visum est quod divinitas et humanitas Christi nullo modo possunt esse una hypostasis, sed una persona in qua agnoscuntur unitive duae naturae in substantialitate sua, sine separatione, in una adhaesione, et in aeternum.

Veruntamen litigiosi nobis obiiciunt: « Ecce Patres veteres hac usi sunt locutione: Una hypostasis ex duabus naturis ». O insipientes! Patres veteres quidem litem habebant de naturis perfectis Christi adversus haereticos, non de hypostasi, quia Arius et Eunomius et Apollinaris non confitebantur Deum perfectum, nec hominem perfectum, sed divinitatem creatam et finitam et temporaneam. Quantum autem ad humanitatem eius quidam dicebant eum corpus sumpsisse, animam vero non sumpsisse: modo negabant assumptionem et introducebant creationem et mutationem; et modo dicebant eum corpus de caelo sibi detulisse, et hoc corpus esse consubstantiale divinitati in una hypostasi. Hi et alii huiusmodi multis modis peccaverunt dicentes divinitatem vicibus animae erga corpus functam esse, et unam eamdemque esse naturam divinitatis et humanitatis, et destruxerunt proprietates naturarum, et passionem divinitati adscripserunt. His igitur Patres sancti occurrerunt cum permultis argumentis, et *docuerunt* aliam esse naturam divinam
p. 306. Christi, consubstantialem et coaeternam Patri suo, *et aliam naturam eius humanam, quam assumpsit ad personam suam de semine David et in qua revelata sunt omnia excelsa et sublimia divinitatis Christi; et hae proprietates pertinent ad unamquamque naturam in unione, dum proprietas naturalis in hypostasi agnoscitur; et non est aliter *sentiendum*. Non est natura absque hypostasi, nec est hypostasis in qua non agnoscatur aliqua natura quae venit sub captum rationalium. Et Patres, cum beato Paulo per quem Christus loquitur, anathematizaverunt omnes qui dicunt Deum esse passibilem aut cadere sub investigationem et visum creaturarum, aut ullo modo expertum esse aut experturum aliquid humanum: et hypostasim pro persona et personam pro hypostasi posuerunt in doctrina sua pluribus modis, quia hoc tempore non erat seru-

tatio aut investigatio de his nominibus sicut nunc apud Romanos, ut dicunt, haec nomina miscentur. Sed propter malitiam haeresis vestrae malae, qua Deum pati facitis, et negatis assumptionem primitiarum nostrarum, et destruitis proprietates naturarum divinitatis et humanitatis Christi in una persona filiationis, inopportunum est *dicere:* Impassibilis passus est, Verbum iniuria affectum est, Invisibilis apparuit, et alia huiusmodi, secundum morem Patrum veterum; hi enim doctrinam stabiliunt; aut mixtionem, aut commixtionem, aut unionem hypostaticam, secundum sententiam Arii et Eunomii et Ḥananae impii; aut dicere: Una hypostasis in Christo, etsi Patres hac locutione usi sunt, quia illam pro persona ponunt. Vos autem impie et ex parte unionis hypostaticae negatis assumptionem et destruitis proprietates, et divinitatem pati facitis per unionem hypostaticam et compositam, et mixtionem et commixtionem confusam, ita ut *Deus non sit Deus, nec homo p. 307. homo. Et alieni estis a tota traditione ecclesiastica et anathematizamini ab omnibus orthodoxis qui sub caelo. Nos vero instamus vestigiis apostolicis cum omnibus filiis Ecclesiae catholicae, et distinguimus hypostases cum naturis earum, nec divinitatem pati facimus, nec assumptionem humanitatis negamus, sed coniungimus divinitatem, id est, hypostasim perfectam, Deum Verbum consubstantialem sicut Patrem, et hominem perfectum atque completum corpore et anima sua, sicut omnes homines, ex semine domus David, et unimus duas hypostases inconfuse in una persona unius Domini Iesu Christi, Filii unigeniti et Primogeniti omnium creaturarum; cui et Patri eius et Spiritui sancto sit laus et honor et adoratio et exaltatio in saecula saeculorum. Amen.

Explicit hic liber expositionis.

INDEX BIBLICUS.

IOHANNIS.

Actus Apostolorum.

Actus Apostolorum.

Ep. *ad Romanos.*

I ad Corinthios.

II ad Corinthios.

ad Galatas.

ad Ephesios.

ad Philippenses.

INDEX PRAECIPUORUM NOMINUM.

INDEX TOMI LXI

TRACTATUS DE DIVINITATE ET DE HUMANITATE ET DE PERSONA UNIONIS.

TRACTATUS PRIMUS.

TRACTATUS SECUNDUS.

TRACTATUS TERTIUS.

TRACTATUS QUARTUS.

TRACTATUS QUINTUS.

TRACTATUS SEXTUS.

TRACTATUS SEPTIMUS.

APPENDIX.

